2 3 . 30

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

I.52

Digitized by Google

2·3·30 Vol III
B I


HISTORIA ZARINGO BADENSIS

AUCTOR

IO. DANIEL SCHOEPFLINUS

HISTORIOGRAPHUS FRANCIAE

TOMUS TERTIUS



CAROLSRUHAE

EX OFFICINA MACKLOTIANA

MDCCLXV.

Digitized by Google

Digitized by Google

CONSPECTUS TOMI III.

I.

LIBER V. BADENSIS.

LINEA BERNHARDINA VEL BADA-BADENSIS.

BERNHARDUS III. Chriſtophori I. Fil. CAP. I. - - pag. 3.

PHILIBERTUS Bernhardi III. Fil. CAP. II. - - pag. 19.

CHRISTOPHORUS II. Philiberti Frater CAP. III. - - pag. 41.

PHILIPPUS II. Philiberti Filius CAP. IV. - - pag. 53.

EDUARDUS FORTUNATUS Chriſtophori II. Fil. CAP. V. - pag. 63.

Digitized by Google

Wilhelmus Eduardi Fortunati Fil.
Cap. VI. - - - pag. 83.
Ferdinandus Maximilianus Wilhelmi Fil. Cap. VII. - pag. 137.
Leopoldus Wilhelmus Wilhelmi Fil. Cap. VIII. - pag. 147.
Hermannus Wilhelmi Fil. Cap. IX. - - pag. 157.
Ludovicus Wilhelmus Ferdinandi Fil. Cap. X. - pag. 181.
Ludovicus Georgius Ludovici Wilhelmi Fil. Cap. XI. - pag. 283.
Augustus Georgius Ludovici Wilhelmi Fil. Cap. XII. - pag. 301.

II.

Numismatum Bada-Badensium Expositio - pag. 305.

Digitized by Google

III.

ORTENAVIAE NOTITIA - pag. 333.

ORDO
TABULARUM GENEALOGICARUM.

TAB. I.

LINEA BERNHARDINA Pars I. - pag. 2.

TAB. II.

EADEM LINEA Pars II. - - - pag. 83.

ORDO
TABULARUM AERI INCISARUM.

ICHNOGRAPHIA URBIS RASTAD. - pag. 242.

Palatium Rastadiense - - - pag. 243.
Numismatum Badensium Bernhardinae Lineae Tabulae XII. pag. 305.

HISTORIAE

Digitized by Google

2.330 Vol III

Tv = 1



HISTORIAE
ZARINGO-BADENSIS
LIBER QUINTUS
IN QUO
BERNHARDINA LINEA
SIVE
BADA-BADENSIS.

Tertium Hiſtoriæ Badenſis, ſcribendum quod aggredior, Volumen, florentiſſimæ Gentis duas lineas exponit, quæ ad noſtram uſque durant ætatem, adeoque Chriſtophorianam omnem abſolvit Periodum. Nexus Hiſtor.

Digitized by Google

Introitus. Chriſtophorus, quo potentiorem in Marchia ſua Principem Bada non vidit, nimio filiorum ſuorum inductus amore, Marchiam, quam ſolus omnem poſſedit, quam indiviſibilem reddere debuerat, tricipitem reddidit. Bicipitem tamen eſſe fata voluerunt.

Ab eo enim Bernhardus, Philippus, Erneſtus, triga filiorum, trium domus Badenſis linearum conſtituti ſunt ſatores.

Sexennio poſt patrem Philippus, maſculæ prolis expers, quum fatis ceſſiſſet, ad duas redactus eſt lineas Badenſium ſanguis. Utraque continet decem Marchiones regentes.

Prior in Badenſem & Rodemacheranam ſubdividi cœperat; ſed Rodemacherana ſeniori mox in Marchia ſucceſſit.

Mortuo Carolo II. Durlacenſis linea tres alias formaverat, quæ & ipſæ, ad Bada-Badenſis exemplum, mox redierunt in unam, quam natu minimus quoque condiderat fratrum.

Binæ hæ ſuperſtites lineæ à ſatoribus ſuis *Bernhardina* & *Erneſtina;* à locis, quæ inhabitaverant, *Bada-Badenſis* & *Bada-Durlacenſis* vocatæ. Pforzhemium enim regiminis ſui ſedem Carolus II. cum Durlaco commutavit. Bada Raſtadium ſedem ſuam transtulit Ludovicus Wilhelmus, Marchio Bada-Badenſis, cujus ſucceſſores Bada-Raſtadienſes appellares.

A Bernhardina hac ſeu Bada-Badenſi, quæ ſenior, ducendum eſt Hiſtoricæ narrationis initium.

Digitized by Google

2.3.30 vol III

Z a (2)

DINAE

Pi s t o p h o r u s poſthumus n. 26. Febr. 1537.
† Lutheranæ addictus. Sedit Rodemacheræ. † 2. Aug. 1575.
Uxor: Cæcilia, Guſtavi I. Regis Sveciæ filia 1564.
† 1627.

1. Ja[cob]avus Christophorus ... 3. Aug. 1566. corpore debilis † 1609.
Ux. J... cenſis

3. Philippus natus 15. Aug. 1567. † 6. Nov. 1620.

...olus ...art. 1569. ...b. in itinere ...lico.

3. Ant... Ux. W...

5. Bernhardus natus 1570. † 1571.

6. Johannes Carolus nat. 1572. Eques Melit. † 1599. in bello Belgico.

Ann... unatus nat. ...cheræ ſedit. ...g. 1627. ...nſtein.

Albertus Carolus natus d. 17. Aug. 1598. † 1626.

Car...us n...ar

2. Eleonora Maria Sophia ux. Johann. Franciſci Deſiderii Princ. Naſſovio - Sieg. 1665. † 1669.

2. Tres alii † infantes.

Digitized by Google

Digitized by Google

CAPUT I.

BERNHARDUS III.

A. 1527 - - 1536.

§. I.

Bernhardus, ſecundo genitus Chriſtophori Marchionis filius, (*a*) A. 1474. d. 7. Oct. lucem aſpexit. Educatus eſt apud Belgas in Maximiliani I. Regis Romanorum aula cum filio ejus Philippo Auſtriaco, ac bonis litteris imbutus; conſortio & amicitia ejus uſus conſtanti. Erneſtus Ferreus, Auſtriæ Dux, communis Philippo proavus fuerat atque Bernhardo. Catharina Auſtriaca, proamita Philippi, fuit avia Bernhardi, qui ætate nonniſi quadriennio Archiducem ſuperavit Philippum. Conſanguinitas firmiorem inter eos reddidit amicitiæ nexum. Archidux Joannam, Hiſpanicæ Monarchiæ heredem, quum duxiſſet uxorem, Ferdinandum Catholicum & Bernh. III.

(*a*) Jacobus primogenitus, ad eccleſiam tranſiens, Elector Trevirenſis evaſit; quem Tom. II. p. 311. expoſui.

Digitized by Google

Iſabellam ſocerum ſocrumque quinquennio poſt inviſurus, magno cum comitatu, per Galliam ad Hiſpanos iter A. 1501. Novembri menſe ſuſcepit.

§. II.

Iter ejus Hiſpanicum.

Bernhardus noſter cum Friderico Palatino, qui dein factus Elector, & cum Henrico Naſſovio, aliisque Belgicæ juventutis Principibus in itinere hoc Philippi comites fuere perpetui.

Philippus magnis ſolemnitatibus ab Hiſpaniæ Rege & Regina exceptus, eosdem ſolemni quoque convivio excepit Toleti. In feſtivitate hac Bernhardus functus eſt prægustatoris officio. Paulo poſt Archidux cum uxore Joanna Caſtiliæ & Arragoniæ regna adivit, à magnatibus & populis ut futuri Principes agnoſcerentur.

At Januario menſe A. 1503. cum Philippo, qui Principis Hiſpaniæ nomine appellandus deinceps, Bernhardus in Belgium reverſus eſt. (*b*)

b) Hubertus Thomas Leodius *Annal. de Vita Friderici II. Palatini* Lib II. p. 29. Fuggerus in *Specul. Auſtr.* Lib. VI. Cap. 5. p. 1137. Pontus Heuterus *Rerum Auſtr.* Lib. VI. Cap. 3. p. 140. Geronymo Zurita *Hiſtoria del Rey Don Fernando Catholico* Tom. V. Lib. IV. Cap. 55. & Lib. V. Cap. 5. Ferreras *Hiſtoire d'Eſpagne* Tom. VIII. p. 220.

Iſabella, Caſtiliæ Regina, ſocrus Philippi, anno ſequente moriens, Caſtellani regni ſolium filiæ ſuæ Joannæ, quæ in Hiſpania manſerat, generoque Philippo reliquit; qui paulo poſt & ipſe decedens, Carolo filio, ſexennali tum puero, amorem ſuum erga Bernhardum inſtillavit. Carolus A. 1519. Cæſareum quoque ſolium conſcendens, conſtanti eum ſemper proſecutus eſt amore.

§. III.

Hereditatis paternæ portio.

Debilitas mentis, qua A. 1516. laborare jam cœperat Chriſtophorus Marchio, filios induxit, ut terrarum, teſtamento patris illis aſſignaturam, regimen ipſi ſuſciperent. Maximilianus Imperator regimen filiorum eodem anno probavit.

Bernhardo tum ſuberat Marchica Spanheimenſis Comitatus pars; ſuberant Luxemburgica Dominia, Rodemachera, Reicherſperga, Herſpringa, Uſeldinga, quin & Dominia Puttingen, Ruland, ut & Schœnenbergenſe Dominium, ab Electore Trevirenſi oppigneratum, ſed brevi poſt ab eodem redemptum.

Lites cum Philippo & Rudolpho fratribus.

Ab harum terrarum regimine fratrem Bernhardum, neſcio quam ob cauſam, circa A. 1519. expulit Philippus, poſſeſſionem earum per octennium obtinens. Anno enim 1527. quo mortuus eſt Chriſtophorus pater, tranſactio inter hos fratres, Georgio Montisbeliardæ Comite conciliatore, Wormatiæ inita, qua diviſio patris, A. 1515. facta denuo fuit firmata.

BERNH. III.

Bernhardo in terras Philippi, ſi ſine maſculo herede decederet, jus quoque ſervatum. Conventum denique, ut tres fratres viribus conjunctis laborarent, quo Luxemburgici Ducatus Gubernium, à Philippo, patris nomine, huc uſque adminiſtratum, acciperet Bernhardus. Luxemburgica adminiſtratione durante, Benedictinam S. Vitonis (*S. Vannes*) Abbatiam Viroduni A. 1523. Caroli V. Imp. juſſu in protectionem ſuſcepit Philippus Auſtriacus. Cæſarem inter ac Franciſcum I. tum fuerunt lites ſuper Rarecurtii dominium, quod ad monachos Vitonianos pertinuerat, cujus ſupremum dominium ad Galliam pertinere Franciſcus contendit. (*c*)

Inter hæc Bernhardi noſtri frater Rudolphus, Cuſtos & Portarius Argentinenſis atque Colonienſis Eccleſiarum, ex teſtamento paterno à fratribus nonnulla repetiit. Interceſſit transactio, qua ſatisfactum Rudolpho, ita tamen, ut & ipſe juribus ſuis quibuscunque in patris, matris, fratrum & ſororum hereditatem denuo renunciaverit.

§. IV.

Lites cum Erneſto Durl. de

In fratrum regnantium triga Philippus dotibus animi corporiſque præcipuus, præter omnium expectationem maſcula ſine prole A. 1533. deceſſit; Bernhardo, Erneſtoque fratribus terras

(*c*) BERTHOLET *Hiſtoire de Luxembourg* Tom. VIII. p. 16.

Bernh. III.

ſuas æquis partibus teſtamento relinquens; quod d. 14. Maji moriturus condidit Mülbergæ. Superior & inferior Marchia Badenſis, dimidia Comitatus Eberſteinii, Dynaſtiarum Lahræ, Malbergæ & Geroldseckii pars, Altenſteig, item Beinheim; bona nempe avita, ut & Mundelshemium, aliaque adquiſita loca Philippinam hereditatem compoſuerant.

hereditate Philippi.

Non diſcordes ab initio viſi ſunt fratres heredes. Nummus, ipſo Philippi morientis anno, juſſu eorum percuſſus, jugata Bernhardi & Erneſti capita ſiſtit, cum Epigraphe:

Germanorum Fratrum Concordiae
Sacrum. (*d*)

Philippicarum terrarum adminiſtratio inter fratres fuerat ab initio communis. At anno ſequenti placuit, ut divideretur hereditas. Ludovicus Pacificus, Elector Palatinus, conſtitutus eſt inter fratres conciliator. Præcipui quid ex hereditate hac ſibi deberi Bernhardus, ut primogenitus, contenderat. (*e*) Examen hujus juris ad ordinarium judicem remiſit Elector; fratrique ſeniori Badam, juniori Pforzhemium, pro Principatus ſede propoſuit. (*f*) Sed fratribus non placuit Electoris ſententia.

(*d*) Nummum hunc Tabulæ Badenſium Numiſmatum, quas ſubjungimus, exhibent.

(*e*) Udalr. Zasius Juriſconſ. Friburg. ſuper lites has reſpondit. Vide *Conſilia* ejus Lib. II. Conſ. 20.

(*f*) Literæ Electoris datæ ſunt Heidelbergæ die Lunæ poſt Lucam Evangel.

Digitized by Google

BERNH. III.

In erciſcunda inter filios familia apud Germanos vetus conſuetudo invaluit; major dividat, eligat minor. (*g*) Palatinus Elector A. 1535. hanc viam propoſuit. At placuit fratribus, ſors ut decideret, uter ex illis conſtitueret partes: Germanicæ conſuetudini ſors quoque reſpondit, fratri majori partium diviſionem attribuens. Bernhardus diviſit. (*h*) At Erneſtus aliam partem elegit, quam crediderat frater. (*i*) Veriſimile enim fuit, Rœtelæ, Sauſenbergæ, Badevillæ poſſeſſorem terras, quæ ei fuerant propiores, electurum præ ceteris. Unde in diviſione à ſe inſtituta Pforzhemio-Durlacenſem partem, quam ad ſe perventuram ſperaverat, pleniorem reddiderat Bernhardus. Hanc ipſam tamen præter expectationem fratris elegit Erneſtus.

§. V.

Singulorum portiones.

Fertiliſſimas Dynaſtias ei jam attribuerat pater. Liberam conſtitutarum à fratre partium electionem ſors ei quoque attribuit; unde meliores terræ Badenſes ad Erneſtum, Durlacenſis lineæ conditorem, pervenerunt. Ex Philippina enim hereditate Pforz-

(*g*) BUDERUS in *Amœnitatibus juris feudalis* Obſerv. 22. Germanis dicitur *Chur Recht.*

(*h*) Joannes Comes Palatinus, lineæ Simmerenſis, in negotio hoc conſtitutus fuit arbitrator. Charta diviſionis data eſt Rodemacheræ d. 13. Aug. 1535.

(*i*) Res acta Heidelbergæ die S. Bartholomæi.

Digitized by Google

Pforzhemium, Durlacum, Mulbergam cum pendentibus inde locis, Præfecturam Stein & Remchingen aliaque accepit, easque Hachbergæ, Rœtelæ, Sauſenbergæ, Badevillæ terris, quas ex paterna diſpoſitione jam tenuerat, adjecit.

Ad Bernhardum vero ex Philippi hereditate pervenerunt Bada oppidum cum arce & præfectura; Jus Advocatiæ Monaſterii Lichtenthal; Buhla cum præfectura; Steinbach oppidum cum præfectura; Caſtrum montanum Iberg, ſupra Steinbacum; Stolhoſa oppidum cum præfectura; Advocatia Monaſterii Schwarzach; Raſtadium, Rhinovia, Kuppenhemium oppidum cum Caſtro & præfectura; Etlinga oppidum cum Caſtro & præfectura, ut & Advocatia Monaſterii Albæ Dominorum; Vici Mœrſch, Forchheim, Dachslanden, Beyerten, Bulach, Kreyenwinckel & Stupferich; Harda ſuperior ab Etlingæ præfectura ad Rhenum uſque ſe extendens; Marchica pars Dynaſtiarum Lahr, Malberg & Geroldseck; Gernsbach oppidum cum præfectura pro dimidia parte, cum jure aperturæ Caſtri Neo-Eberſteinenſis & jure Advocatiæ Monaſteriorum Albæ fœminarum & Reichenbach. His Beinhemium cum præfectura in ſiniſtra Rheni parte acceſſit. Diviſione A. 1535. d. 13. Aug. facta, hæc obvenerunt Bernhardo.

Digitized by Google

BERNH. III.

Verum enimvero inter fratres hæc vix fuerant transacta, cum Bernhardus conqueri cœpit, portionem Erneſti ratione redituum nimis præponderare.

Multas poſt diſcuſſiones conventum, ut MD mille maltras frumenti & LII. plauſtra (*Fuder*) vini Erneſtus fratri ſeniori ex terris ſuis, penſionis loco, in ſupplementum quotannis perſolveret. Penſio Bernhardo & ſucceſſoribus ad Eduardum uſque Fortunatum ſoluta, Weſtphalica tandem pace ſublata eſt. (*k*)

§. VI.

Novæ fratrum lites intercessione Palatini componuntur.

Neque ita tamen litium finis. Philippus Mulbergæ Caſtrum ceteris præferens, munitionibus, vallis & foſſis fortiſſimum illud reddere decreverat, ſed, antequam opus perficeretur, deceſſit. Erneſtus, cui Caſtrum obvenit, ex parata pecunia, à Philippo relicta, & ex reditibus, ad id deſtinatis, ædificationem ejus abſolvere voluerat. Bernhardus autem mobilium omnium in partes æquales diviſionem flagitavit. Quin & bellica tormenta, quæ in Mulbergæ Caſtro tum fuerant, omnia in eo relinquenda contendit Erneſtus.

(*k*) Artic. IV.

Bernhardus contra urſit, ſua ſingulis caſtris reſtituenda eſſe tormenta; quippe quæ belli ruſticani occaſione Mulbergam undique convehi juſſerat Philippus.

Mortuo inter hæc Bernhardo, filiorum ejus Philiberti atque Chriſtophori tutelam Johannes Comes Palatinus Simmerenſis, Princeps doctrinæ & juſtitiæ laude celebris, & Wilhelmus IV. Bavariæ Dux, ſuſceperunt. De inveſtitura tum feudorum & judiciis feudalibus contendit Erneſtus, moribus Germaniæ indiviſibiles eſſe Principatus, & ad ſervandam familiarum dignitatem unum conſtituere corpus; uſusque Germanici eſſe, ut ſenior familiæ pro ſe & agnatis inveſtituras accipiat, feuda conferat, quin & feudalibus præſideat judiciis. Regeſſerunt Bada-Badenſes, jus primogenituræ in utraque linea ſervandum. At in Marchia negant receptum, ut ſenior, ſed ut primogenitus feuda accipiat & conferat, idque exemplo Chriſtophori probare ſtuduerunt.

De his aliisque difficultatibus componendis Ludovicum Electorem denuo interpellaverunt Marchiones, menſe Majo A. 1536. addita lege, ut, conditiones à Palatino propoſitæ intra ſpatium bimeſtre ſi non acceptarentur, Elector ex arbitratore arbiter fieret, interpoſitoque Laudo finem imponeret liti. Promulgatus eſt Electoralis Receſſus die Veneris poſt omnium Sanctorum A. 1536.

§. VII.

Receſſus Electoralis ſumma.

Summa ejus huc redit:

I. Materia de Jure Primogenituræ, quod urſit Bernhardus, ad judicem competentem remittitur,

II. Vetera Badenſium terrarum ſtatuta ſerventur, nihilque in illis fratrum abſque conſenſu mutetur; maneat Marchionatus integer, & *unum corpus;* ſicque quoad ſolum uſum diviſus, quoad dominium & civilem poſſeſſionem communis atque indiviſus.

III. Uterque aulicum peculiare ſibi conſtituat Judicium; veteri ordinatione ſervata.

IV. Peculiarem uterque fratrum habeat monetam, ſed Wirtenbergicis compactatis conformem.

V. Uterque de metallifodinis ſuis & ſilvis diſponat.

VI. Commercia & matrimonia inter ſubditos Marchionum ſint libera.

VII. Reciproca à vectigalibus perſtet immunitas.

VIII. Feuda poſſeſſor pro ſe & agnatis accipiat.

IX. Spirenſia feuda unus, Weiſſenburgenſia alter fratrum recipiat; vel ſorti committatur, amborum quis recipiat inveſtituram.

X. Lis de collatione feudorum, donec transactum, maneat ſuſpenſa.

XI. Feuda Caſtrenſia ille, in cujus ditione bona ſunt ſita, procuret.

ARDINAE.

Hohenzollern 1624. † 1648.

FERDI
MAXI
natus 23
† 4. No
Ux. Lu
ſtina Th
rignan
baud
1
1

1. HERMANNUS n. 12. Oct. 1628. Conſil. bell. Cæſar. & Comit. Ratisb. Præſes † 2. Oct. 1691.		1. BERNHARDUS natus 22. Oct. 1622. † 1649. in itinere Italico.	
1. HENRICA nata 12. Jul. 1634. † infans.	1. MARIA nata & denata 1636.	1. FRANCISCUS.	1. MARIA JULIANA.
2. CAROLUS BERNHARDUS n. 14. Jan. 1657. † 6. Jul. 1678. in prœlio Rheinfeld.		2. EVA.	2. MARIA.

LUD
WIL
n.8. Apr.
† 4.
Ux. Fra

DUS	2. CATHARINA FRANCISCA.	2. HENRICA.	2. ANNA.

LEOP.
natus 2
1695. †
169

GEORG. RTUS t. 1703. r. 1709.	AUGUSTA MARIA JOHANNA n. 11. Dec. 1704. † 1726. 8. Aug. nupta Aurelian. Duci.	AUGUSTUS GEORGIUS SIMPERTUS n. 14. Jan. 1706. Ux. Maria Victoria, Leop. Philip. Caroli Joſ. Ducis Aremberg. filia, nupta 7. Dec. 1735.

ELISA

1\. ORG. JOHAN. NEPOMUCEN. BERNHARDUS WENCESLAUS atus 11. Aug. 1736. † 11. Mart. 1737.

Digitized by Google

XII. Feuda vacantia vel denuo conferantur, vel redituum inter fratres ſiat diviſio.

XIII. Feuda eccleſiaſtica conferantur ab eo, in cujus terris ſunt ſita; ſi alibi ſita ſunt, inveſtitura inter fratres alternet.

XIV. Documenta communia maneant Badæ in communi cuſtodia. Quæ terras ſingulorum fratrum reſpiciunt, cuique fratri reddantur.

XV. Jusjurandum, ab Officialibus & ſubditis præſtitum, reciproce remittatur utrisque.

XVI. Lites inter fratres orituræ ſecundum vetera pacta dirimantur.

XVII. Jus conductus vel à quolibet in ſuis terris, vel in utriusque terris communiter exerceatur.

XVIII. Conſiliarios communes retineat Bernardus. Quod ſi nolit, in poteſtate Erneſti ſit eos retinere.

XIX. Vicus *Beurthan* in Bada-Badenſi portione permaneat.

XX. Si alteruter fratrum aliquid ex terris ſuis lite amittat, ſatisfaciat alter.

XXI. Poſtremus hic quinque Receſſuum Electoris formam induat Laudi.

§. VIII.

Nova mox lis coram Ludovico Electore Heidelbergæ d. 14. Maji A. 1540. Laudo definita eſt; ſed à Laudo ad Cameram Im- Reliquarum litium

BERNH. III. compoſitio.

perii provocavit Erneſtus, eo læſum ſe arbitratus. Per quadraginta fere annos ibi litigatum. Confirmato tandem Heidelbergenſi Laudo in favorem Bada-Badenſium ſub nepotibus Erneſti ac pronepote Bernhardi res fuit decisa A. 1582.

Præfecturæ Crucenacenſis partem Badenſem, quam Carolus Marchio Friderico I. Palatino Electori oppigneravit, Eliſabetha Palatina, Philippi Electoris filia, Philippo I. Marchioni Badenſi, marito ſuo, attulit in dotem. Mortua Eliſabetha, hujus partis Crucenaci poſſeſſio ad filiam ejus Jacobæam, Wilhelmi IV. Bavariæ Ducis conjugem, pervenit. Hujus pignoris reluitio ut quantocius fieret, in teſtamento ſuo ordinavit Philippus. In transactione Lahrenſi A. 1533. Badæ facta, inter fratres conventum, ſi fructuum perceptorum ratione Bernhardus Ducisſæ Bavariæ ſatisfacere teneatur, dimidium quoque pretii ſolvat Erneſtus. Poſt multas contentiones redempta Crucenaci pars penes Bada-Badenſes permanſit.

Chriſtophorus Marchio à Diepoldo, Geroldseckii Dynaſta, Advocatias & vicos varios A. 1482. ſub pacto de retrovendendo comparavit. Geroldseckiana hæc Philippus in portione ſua accepit; quæ, mortuo eo, pervenerunt ad fratres. Gangolfus & Waltherus, Geroldseckii Dynaſtæ, ea redimere voluerunt. Ludovicus, Palatinus Elector, interpoſito arbitrio A. 1535. Badenſes

damnavit. Re ad tribunal Imperii Spirenſe delata, Palatini ſententia A. 1538. confirmata & anno ſequenti facta redemtio.

§. IX.

Inter medias has lites Bernhardus A. 1536. d. 29. Junii deceſſit. Luxenburgici Ducatus gubernium haud dubie cauſa fuit, Luxenburgicas Badenſium terras filio ſeniori Bernhardo ut Chriſtophorus adſcriberet. Obitus Bernhardi.

Rodemachera vicina eſt Bruxellenſi Archiducum aulæ, addictus cui fuerat Bernhardus. In aula hac & in Præfectura Luxenburgica potiorem vitæ ſuæ partem quum tranſegerit Bernhardus, in rerum Germanicarum theatro rarius eum comparuiſſe non mirum.

In religionis negotio Bernhardus Proteſtantibus haud dubie favit. Mortuo enim fratre Philippo, in Romana religione conſtante, ſuperiorem Marchiam Badæ quum accepiſſet heres, in ea quoque plantavit Proteſtantium ſacra. Religio.

§. X.

Franciſca, Bernhardi uxor, ex antiqua & perilluſtri Comitum Luxenburgenſium proſapia, quæ Henricum VII. Imperatorem produxerat, originem traxit. Henrici VII. patruus fuerat Waleranus Luxenburgo-Lignei Comitum ſator, (l) à quibus Uxor.

(l) Du Chesne *Hiſtoire de la Maiſon de Luxembourg* p. 100. 103.

Digitized by Google

Franciſca Badenſis recta linea deſcendit; filia Caroli Luxenburgo-Ligneji Comitis, Picardiæ ſub Franciſco I. Rege præfecti, & Charlottæ d'Eſtouteville, eademque neptis Antonii Comitis Ligneji & Franciſcæ de Croyaco. (*Croy*). (*m*)

Luxemburgenſes hi Comites, principali dignitate conſpicui, (*n*) magnas in Belgio opes tenuerunt, (*o*) præcipuis Europæ Gentibus neceſſitudine juncti. Ex eadem ſtirpe Maria, Franciſcæ noſtræ amita, Franciſco Vendomio nupſerat, atavo Henrici IV. Galliæ Regis. Ejusdem Franciſcæ ex Antonio fratre nepos Franciſcus dignitate Ducis & Paris Galliæ ab Henrico III. Rege ornatus, Margaretham Lotharingicam, Ludovicæ Franciæ Reginæ ſororem, in matrimonio habuit. (*p*). Belgicam hanc principem (*q*) Franciſcam Bernhardus, qui in Belgio diu vixerat, ſibi

(*m*) NICOLAS VIGNIER *Hiſt. des Comtes & Ducs de Luxembourg* Chap. 54. & 55. p. 797. 802. 806. 807. 808.

(*n*) Carolus pater Franciſcæ in Epitaphio apud VIGNIER. loco alleg. p.812. Illuſtriſſimus, invictiſſimusque Princeps & Dominus, Dominus Carolus Luxemburgenſis, Comes Lignei, Briennæ & Ruſſiaci vocatur.

(*o*) Præter Comitatus, modo memoratos, dominia Garennes, Eſpinoy, Warneſton, Guiſtelles, Pougy, Rameru, Pigney, Machaut, Beine, Franciſcæ pater poſſedit. VIGNIER. p. 807.

(*p*) VIGNIER. Cap. 60. p.838. ſqq.

(*q*) Franciſca in Charta A.1556. *Princeps Luxemburgenſis Comes Ruſſiaci* vocatur.

Bernh. III.

bi A. 1535. deſpondit, ſexagenarius ſenex; anno ſequenti vitam commutaturus cum morte. Tam propinquus tum fuerat lineæ Bada-Badenſis interitus. Unus annus Bernhardum cœlibem interceſſit & mortuum.

§. XI.

Liberi ex ea ſuſcepti.

Peperit ei vivo Franciſca Philibertum, & mortuo Chriſtophorum poſthumum; in quo ſpes Domus Bada-Badenſis recubuit. Philippus enim, Philiberti filius, maſcula ſine prole deceſſit.

Franciſcæ fata.

Franciſca, poſt mortem Bernhardi, ſecundas nuptias cum Adolpho, Comite Naſſovio Wisbadenſi, contraxit, cui filiam peperit Magdalenam, quæ dein Joachimo, Manderſcheidio Comiti, nupſit. (*r*). Defuncto A. 1556. Adolpho, Franciſca, bis vidua, Uſeldingam una cum filia ſua ſibi ſedem elegit, ubi A. 1566. die 27. Junii obiit; Neoburgi, in Manderſcheidiorum ditione, ſex ab Uſeldinga leucis, quem ſibi locum delegerat, ſepulta.

Concordiæ inter filios ſervandæ ſtudioſiſſima fuit, pia & religioſa Princeps; cujus auctoritate pactum diviſionis Philibertum inter & Chriſtophorum filios A. 1556. conſtitutum; quibus illa frequenter ob oculos poſuerat patris exemplum; cujus cum fratre Erneſto diſcordia Domui Badenſi fuit valde damnoſa.

(*r*) *La Genealogie des Illuſtres Comtes de Naſſau*, ubi de Linea Wisbadenſi & Idſteinenſi.

Liberi illegitimi Bernhardi.

Ante matrimonium ſex filios naturales Marchio noſter progenuit, Bernhardum, Philippum, Johannem, Georgium, Caſparum & Melchiorem. Tres poſtremi à ſupremo Bruxellenſi Senatu Caroli V. Imp. juſſu A. 1532. natalibus fuere reſtituti, id quod de Bernhardo & Philippo quoque conſtat. A filiis Bernhardi legitimis Philiberto & Chriſtophoro naturales cum alimenta exigerent, impetravere tandem, ut ſingulis quadraginta floreni annui promitterentur, addita conditione, ut omnibus iuribus, quæ ſibi arrogaverant, renuntiarent; quod ſinguli præſtiterunt.

Digitized by Google

CAPUT II.

PHILIBERTVS

A. 1536 -- 1569.

§. I.

Philibertus, patre decedente infans, A. 1536. die 22. Januarii lucem aſpexit. Wilhelmus IV. Bavariæ Dux *(a)* & Johannes Junior, *(b)* Comes Palatinus Simmerenſis, ei & Chriſtophoro, fratri poſthumo, dati ſunt tutores. His ſuperadditus fuit Wilhelmus, Eberſteinii Comes, quod Simmerenſis tutor Spanheimenſem Comitatum cum pupillo communem poſſederat. Philiberti tutores.

(a) Wilhelmi hujus uxor fuerat Maria Jacobea, filia Philippi Marchionis, patrui Philiberti.

(b) Johannis hujus uxor fuerat Beatrix, Chriſtophori, Marchionis Badenſis, avi Philiberti, filia.

Digitized by Google

Philib.

Johannes A. 1556. à tutela dimiſſus. Eandem anno ſequenti depoſuit Eberſteinii Comes. Tutores nomine pupilli à Philippo, Baſilienſi Epiſcopo, A. 1542. die 13. Dec. vicum Oſe receperunt in feudum. Inveſtitura hæc à Melchiore Epiſcopo A. 1557. die 6. Sept. repetita eſt, Philiberto libero à poteſtate tutorum.

§. II.

Regimen adit.

Auguſtanis Imperii Comitiis, in quibus Pax Religionis firmata, A. 1555. Philibertus interfuit, (*c*) qui jam antea Proteſtantibus liberum in terris ſuis cultum religionis conceſſerat; patris imitatus exemplum.

Decimum nonum ætatis annum tum Philibertus agebat. Johannes tutor ejus, annis meritisque gravis, ei Simmeræ ſignificavit, die S. Georgii anni ſequentis ſe depoſiturum tutelam, quam etiam depoſuit. Philibertus regimen adiens, de matrimonio cogitavit. In aula Wilhelmi IV. Bavariæ Ducis, tutoris ſui, per triennium vivens, filiæ ejus Mechtildis virtutes miratus, conjugem eam ſibi elegit. (*d*)

Propoſitum ſuum matri ſuæ & conſiliariis aperiturus Ulricum Langmantelium, quem ephorum morum nuper habuerat, Februario menſe A. 1556. Badam miſit Monachio.

(*c*) Crusii *Annal. Suev.* Part. III. Lib. 12. Cap. I.

(*d*) Mechtildis promiſſa fuerat in matrimonium Philippo Brunſvicenſi Principi, qui A. 1553. in pugna ad Sivershuſam periit.

Digitized by Google

§. III.

Tranſactio cum fratre.

Ante omnia inducendus erat Chriſtophorus frater, indiviſa ut perſtaret Marchia ſuperior, ac in poteſtatem Philiberti tota transiret. Res ex voto ſucceſſit. Badæ convenere fratres, advenit Franciſca mater cum Johanne Simmerenſi. Die 23. Aprilis ejusdem anni jurejurando inter fratres ita transactum, ut Marchia Bada-Badenſis & Spanheimenſis Comitatus portio, ad Badenſes ſpectans, in Philiberti & maſculorum, ab eo deſcendentium, poteſtate manerent. Luxemburgicas autem terras accepit Chriſtophorus, quas Philibertus adminiſtrandas ſuſcepit, ac pro reditibus quotannis 4000. florenos fratri ſe ſoluturum promiſit, donec aditurus ſit regimen. Tum vero Philibertus Chriſtophoro, ad aulam ſuam conſtituendam, totidem florenos & trecentas argenti minas ſuppeditet.

Uſeldingam & Pittingam pro vidualitio acceperat mater. Chriſtophoro, uſque ad mortem matris, Allenbacum, in ulteriore Spanhemii Comitatu, aſſignata eſt ſedes; illiusque Præfecturæ attributi ſunt reditus.

His ita ordinatis, Marchiam ſuam regere Philibertus incepit; non ſine Cameræ Imperialis præſcitu, quæ ſedebat tum Spiræ.

Ad nuptiarum ſolennia extraordinarium pecuniæ ſubſidium Marchionatus obtulit Philiberto.

§. IV.

Lites de Monaſt. Herren-alb.

Vix regimen adierat, quum graves ei cum Chriſtophoro, Wirtenbergæ Duce, meritis & virtutibus claro, exortæ ſunt lites. Ciſtercienſis regulæ Monaſterium, à Comitibus Eberſteinii inſtitutum, Alba Dominorum, *Herrenalb*, ut & Benedictini ordinis Cœnobium, Reichenbacum, litium harum fuerunt origo. In utroque Advocatiæ jura Eberſteinii atque Badenſes, vel ut conditores, vel ut dotatores, ab antiquo exercuerunt. (*e*)

Temporis progreſſu Albenſes, in Wirtenbergico tractu nacti poſſeſſiones, Advocatum ſibi quoque elegerunt Wirtenbergæ Comitem, cujus dignitas deinceps in Ducalem converſa. Advocatia, inter duos diviſa, non potuit non inter eos lites movere. Motæ ſunt plures, donec Chriſtophorus primus, Marchio Badenſis, & Eberhardus Barbatus, Wirtenbergæ Dux primus A. 1497. inter ſe tranſegerunt, ut uterque in terris, ſuæ ditioni ſubjectis, Advocatiæ jura in poſterum exerceret. (*f*)

(*e*) De Badenſibus teſtimonium ſolemne A. 1473. in Inſtrumento quotannis prælecto, quod extat in *Diatriba*, cujus rubrum: *Grund- und Actenmäßige Information Baaden - Baaden contra Würtenberg* &c. Documento E. pag. 20.

(*f*) Litteræ tranſactionis extant in *Diatriba alleg.* lit. X. pag. 74. Memorantur ibi vici Malſch, Langenſteinbach, Vtterſpurg, Dietenhuſen, Zwey Urbach, Spilberg, Stupfenrich, Lonſenau, Neuſaz, Rottenſol, Bern-

Exorta deinceps apud Germanos religionis mutatione, Ulricus Dux, ſacra Proteſtantium amplexus, A. 1534. omnia Ducatus ſui Monaſteria ſeculo addixit, atque adeo Badenſem quoque Advocatiam aboluit.

Obiit inter hæc Bernhardus Marchio, filius Chriſtophori, qui transactionem iniverat. At Philiberti, Bernhardo qui ſucceſſit, tutores rem ad Spirenſem Imperii Cameram detulerunt, cujus mandatum pœnale jubet, ut transactionem anni 1497. Ulricus obſervet. (*g*) Intervenit quoque Ludovicus, Palatinus Elector, atque A. 1539. arbiter pro Philiberto Laudum pronuntiavit. Wirtenbergicus tamen in alia omnia diſceſſit. Cum enim Philibertus A. 1558. Comitia Marchica habuiſſet, atque pecuniarium ab illis obtinuiſſet ſubſidium, Malſcha & Steinbacum, vici Albenſes, ſubſidiariam ſuam partem perſolvere recuſarunt, à Duce inducti. Philibertus præcipuos ex civibus A. 1560. carceri mancipavit, qui denique facinus ſuum ingenue profeſſi, Philibertum agnoverunt dominum. Wirtenbergicus tamen pertinaciter refragatus eſt, manuque hoſtili cives coëgit, ſolum ſe ut agnoſcerent. Albertus Bavarus & Palatinus Elector A. 1564. ſe conciliatores obtulerant, ſed obtulerant fruſtra. Lis continuata in Imperii Camera, ſub ſuc-

bach, Gibrichingen. In vicis & locis his ditionis Badenſis, Albenſes poſſederant bona.

(*g*) *Diatriba alleg.* Lit. Z. pag. 79.

ſucceſſoribus Philiberti, uti deinceps videbimus. Hæc de Alba Dominorum.

§. V.

Monaſt. Reichenbach.

In Eberſteinenſis Comitatus & Wirtenbergæ Ducatus finibus ſitum fuit olim Reichenbacenſe Cœnobium. Vicinos villæ cujusdam colonos, reos delicti, Wirtenbergicus Dornſtadii Præfectus mancipavit cuſtodiæ, villam in Beierſpronnenſi Wirtenbergæ ſolo ſitam eſſe contendens. Wilhelmus, Eberſteinenſis Comes, & Philiberti noſtri tutores villam ad Advocatiam Reichenbacenſis Cœnobii ſpectantem, Eberſteinenſis eſſe juris ſtatuerunt. Lis ad Imperii Cameram delata, interjectis aliquot annis, quum Marchionatus regimen adiiſſet Philibertus, inter eum & Wilhelmum, Eberſteinenſem Comitem, ac Valentinum, Priorem Reichenbacenſem, ab una, & Chriſtophorum, Wirtenbergæ Ducem, ab altera parte A. 1557. res transactione deciſa eſt. Reichenbacenſis Cœnobii & Beierſpronnenſis vici limites in perpetuum diſtincti ſunt. Terminales poſiti lapides, Badenſibus & Eberſteinenſibus inſigniis ab una, Wirtenbergicis ab altera conſpicui. Intra hos lapides Wirtenbergicæ & Eberſteinenſis ditionis incluſa ſunt jura. Anteriores ad Thonbacum villæ una cum Moſpaco, de quo nata quoque fuerat controverſia, cœnobio Reichenbacenſi quoad juriſdictionem inferiorem & Co-

mitatui

mitatui Eberſteinenſi, quoad ſuperiorem, aſſertæ; compenſatisque impenſis, actioni, in Camera inſtitutæ, renunciatum eſt. (*h*)

§. VI.

Acta cum Imp.

Philibertum noſtrum Ferdinandus I. Imp. multum amaverat. Poſtquam enim A. 1559. die 6. Junii Auguſtæ Vindelicorum feuda Imperii ei contuliſſet ſolenni ceremonia, atque de eligendo Romanorum Rege & Principibus, Francofurtum ad electionem invitandis, quæreretur, Maximilianus Cæſar filio ſcripſit, Philibertum Principem, omni elogio dignum, Auſtriæque amicum, inter primos ponendum. (*i*) A. 1565. mortua uxore, juvenis Marchio noſter ad militiam progreſſus eſt, Cæſari Imperioque vitam & officia conſecrans. Illo ipſo tempore Bœcklinum à Bœcklinsau, Marckelsheimenſem Præfectum, de vicis Wittenweiler & Almansweiler inveſtivit. (*k*)

Expeditio ejus Turcica.

A. 1566. Philibertus à Maximiliano II. Imp. ex Comitiis Auguſtanis Menſe Majo miſſus eſt, ut copias equeſtres & pedeſtres colligeret ac in Hungariam contra Turcas duceret, quod magna cum celeritate & fortitudine executus eſt. (*l*) Monaſteria

(*h*) *Diatriba alleg.* inter Documenta Lit. I i i i. pag. 318.

(*i*) Moser in *Addit. ad Franciſci I. Capitulat.* Part. II. App. 3. pag. 813.

(*k*) Alsat. Illvst. Tom. II. pag. 703.

(*l*) Anonymvs de *rebus geſtis ſub Maximil. II. Imp.* apud Schardivm *Scriptor. Rer. Germ.* Tom. IV. pag. 48.

Digitized by Google

Marchionatus ad expeditionem hanc bellicam ſuas quoque præſtiterunt angarias.

§. VII.

Bellis. Gallorum civilibus implicitus.

Anno ſequenti expeditionem in Galliam ſuſcepit Philibertus, quæ animum ejus in diverſa diſtraxit. Decennio poſtquam religioſa Pax Pataviæ (*m*) apud Germanos conſtituta eſt, Reformatis quoque ſuis, Hugonottos quos vocant, pacem conceſſit Carolus IX. Franciæ Rex, publicato edicto, quod a menſe, quo datum eſt, *Januarii* vocatur. (*n*)

Edictum hoc civilium octo apud Gallos bellorum fax fuit & tuba; quorum quinque ſub eodem Carolo intra undecim annos efferbuerunt.

Bellum I.

Primum ipſo conditi edicti anno efferbuit, quo durante utraque jam factio apud Germanos quæſivit auxilia. Guiſius Dux die 5. Julii hujus anni ad Electorem Palatinum, ut & ad Caſimirum & Wolfgangum, Comites Palatinos, ad Wirtenbergæ Ducem & Philibertum noſtrum Marchionem literas perſcripſit, quibus ab Hugonottis, tanquam rebellibus, eos avertere atque ad ſuas partes perducere ſtuduit. (*o*). Bellum hoc menſe Martio A. 1562. cœptum, anno ſequente eodem menſe finitum, poſt

(*m*) Sub Romanis *Batava Caſtra;* unde *Paſſau;* ubi Tranſactio de Proteſtantium Religione A. 1552. inita eſt.

(*n*) Edictum Januarii publicatum A. 1562.

(*o*) *Memoires de Condé* edit. A. 1743. Tom. III. pag. 526.

quinquennium denuo in flammas erupit; quod A. 1567. evenit menſe Septembri.

§. VIII.

In ſecundo hoc bello à Principe Condæo & Reformatis in auxilium vocatus eſt Fridericus III. Palatinus Elector, Simmerenſium ex linea primus, qui Reformatorum ſacra in Palatinatu magno cum zelo nuper plantaverat. Filius ejus natu junior, Caſimirus, patri, quoad religionem, addictior, quam ſenior frater, (p) ex pecunia Gallica decies mille militum exercitum comparavit; quos inter ſex mille numerati ſunt equites. Caſimirus in Henrici II. Aula diu vixerat juvenis; familiaris Condæo. (q)

Bello II. Hugonottis militat.

Proteſtantium Germaniæ animos occupaverat ſuſpicio, Auſtriacam Hiſpaniæ & Germaniæ Domum cum Francica in perniciem eorum non ſolum in Gallia Belgioque, ſed & in Germania conjuraſſe, eaque de re in Bajocenſi Caroli IX. & ſororis ſuæ Eliſabethæ, Hiſpanorum Reginæ, Conventu A. 1565. cum Albano Duce fuiſſe tranſactum.

(p) Ludovicus, qui Friderico III. Electori ſuccedens, Lutherana ſacra in Palatinatum reduxit, poſt ſeptennium moriturus; unde Reformata ſacra redierunt.

(q) Brantome in Libello, cui Tit. *Vies des hommes illuſtres etrangers de ſon tems* Part. I. pag. 283. exprobrat ei ingrati animi notam, quod tot beneficiis ornatus à Rege contra eum bellaverit.

Digitized by Google

PHILIB.

Rex Galliæ, miſſo ad Electorem Lanſaco, qui in Concilio Tridentino nuper fuerat legatus, expeditionem hanc quovis modo impedire ſtuduerat. Quin & Maximilianus II. Cæſar in gratiam Regis Galliæ, qui triennio poſt filiam ejus duxit uxorem, bellatoribus Germanis, Condæo qui eſſent opem laturi, proſcriptionem minatus eſt. (*r*). Condæus tamen & Caſimirus identidem ſollicitarunt Philibertum noſtrum, ut & ipſe Palatinis ſuas jungeret copias. Cæſaris comminatio Philibertum aliquandiu retinuit. Conſenſit denique, à Caſimiro edoctus, ipſam Catharinam Medicæam, Regis Galliæ matrem, ſibi inſinuaſſe, ut expeditionem maturaret. (*s*) Philibertus ergo cum Caſimiro & exercitu ejus profectus eſt menſe Novembri, ſed nonniſi centum ſtipatus equitibus; (*t*) cum quibus tamen menſe ſequenti, mutata ſententia, rediit ad ſuos.

§. IX.

Eos deſerit; qua de cauſſa?

HUBERTUS LANGUETUS (*u*) in Epiſtola, duodecimo Januarii die A. 1568. Argentorato ad Auguſtum, Electorem

(*r*) HUBERTUS LANGUETUS, origine Burgundus, vir rerum politicarum peritus & egregie doctus, Electoris Saxoniæ, in Germania Rhenenſi legatus, *Epiſtolarum ſecretarum Lib. I. Epiſt. 13.*

(*s*) LANGUETUS *loco allēg.* Videtur Regina crediſſe, adventum Caſimiri bellum cito finiturum.

(*t*) *Idem* Lib. I. Epiſt. 9.

(*u*) Lib. I. Epiſt. 20.

Saxoniæ, ſcripta, hæc nuntiat: „ Credo Veſtram Celſitudinem „ non ignorare, Philibertum, Marchionem Badenſem, mutaſſe „ ſententiam & rediiſſe in Germaniam. „ Philibertum quid induxerit, ut Caſimirum tam celeriter delereret, ſilentio præterierunt ſcriptores. Num Cæſaris minæ? Num Aulæ Gallicæ artes? Id certum omnino, quod inſequenti tertio religionis bello Philibertus non Reformatis, ſed Carolo IX. copias auxiliares adduxit. Caſimirus tamen in itinere conſtanter progreſſus ad Lotharingiæ Muſſipontem cum Condæo ſe junxit Februario menſe.

Junctio hæc Galliæ Regem ab initio terruit. At Catharina Medicæa, ad conſuetas ſuas rediens artes, ſequente Martio menſe, Condæo, pecuniæ laboranti penuria, perſuaſit, ut invito Colinio pacem iniret; ex altera parte Regem inducens, ut Caſimirianos milites ex ærario ſuo perſolveret, peregrinis hoſtibus ut Galliam liberaret.

§. X.

Poſt hæc nihil non impendit Regina mater cum filio Rege, Marchionem noſtrum ut in ſuas partes pertraheret. Pertractus eſt denique tertio Religionis bello apud Gallos flagrante. Præceſſit eum Wolfgangus, Bipontii Palatinus Comes. (x). Hic Bello III. regiis adhæret.

(x) Wolfgangi in Galliam tranſitum deſcribit teſtis præſens de la Noue *Diſcours politiques & militaires* pag. 963.

Digitized by Google

PHILIB.

enim, ſtimulante Electore Friderico, Hugonottorum ſumtibus quatuordecim armatorum millia Martio menſe A. 1569. eis in auxilium adduxit; Alſaticis Tabernis cum exercitu profectus peragravit Burgundiam, cum Colinio, Hugonottorum capite, ut ſeſe conjungeret. Wolfgangus, capto ſuper Ligerim Charitæo oppido, poſt trimeſtrem expeditionem, jamjam ſe juncturus Colinio die 11. Junii, tribus à Lemovico leucis, Neſſunii ex Febre deceſſit. (y). At Philibertus, ut in prima, ita & in ſecunda expeditione ſuſcipienda fuit lentus & dubius. Principem triginta trium annorum Carolus IX. ſollicitare non deſiit, Germanicum militem Gallica ut compararet pecunia. (z) Philibertum & militiæ gloria & rei familiaris rationes induxerunt, ut oblata accipe-

(y) *Memoires de Caſtelnau* Liv. VII. Ch. 6. pag. 241. AVILA *Hiſt. des guerres civiles de France* Tom. I. pag. 261. ſqq. THVANVS *Hiſtoriar.* Lib. XLV. Cap. 9. & 10. JEAN DE SERRES *Inventaire géneral de l'Hiſtoire de France* &c. pag. 166. ſq. *Recueil des Choſes mémorables, avenues en France ſous le Regne de Henri II.* &c. pag. 166. ſeq. BRANTOME *vies des hommes illuſtres etrangers de ſon tems.* Part. II. pag. 179.

(z) CASTELNAU Lib. VII. Cap. IV. JEAN DE SERRES loc. alleg. pag. 695. RICHARDVS DINOTHVS *Hiſtor. Gall.* Lib. III. pag. 199. AUBIGNE *Hiſt. univerſelle* Lib. IV. Ch. 10. pag. 308. Hic quater mille equites à Marchione conſcriptos eſſe tradit. Alii numerum equitum minuunt. Vid. *Hiſtoire de France ſous les Regnes des trois Rois T. C. Henri François II. & Charles IX.* Liv. VII. pag. 484. LANGVETVS Lib. I. Epiſt. 42, eum ſe ignorare profitetur.

ret. LABOURERIUS, (*a*) illuſtris rerum Gallicarum ſcriptor & CASTELNOI Commentator, aliam addit rationem, quod nempe per matrem regio Gallorum ſanguini fuerit conjunctus. (*b*)

§. XI.

Quidquid hujus rei ſit, lentius rem egit Philibertus, vel ab Electore Palatino retentus, vel quod incongruum ei videretur, contra Hugonottos pugnare. Lanſacus (*c*) ergo miſſus à Rege, & poſt eum clarus ille nativitate, legationibus & Commentariis rerum ſui ævi geſtarum conſcriptis, Michaël de Caſtelnau, (*d*) qui urgerent Philibertum. Lente rem agit.

Hic toties monitus, ad expeditionem ſibi fatalem ſe denique accinxit, & intra quindecim dies cum Caſtelnoo profectus eſt Metas, (*e*) ad quam urbem aliæ quoque Germanorum equitum turmæ, Regi militaturæ, advolarunt. Germanicis his copiis Dietzii duo Comites Haſſi, filii Philippi Landgravii, ex Margaretha de Sala progeniti, ut & Rheingravii Comites, fratres, A Caſtelnoo adducitur Metas.

(*a*) *Additions aux Memoires de Michel Caſtelnau* pag. 724.

(*b*) Vide ſupra in vita Franciſcæ.

(*c*) *Louis de S. Gelais, Seigneur de Lanſſac.*

(*d*) MICH. CASTELNOVS, quinque legationibus in Angliam functus A. 1592. deceſſit.

(*e*) CASTELNAV *Memoires* Lib. VII. Ch. 5. add. HVBERT. LANGVET. *Lib. I. Epiſt.* 22. 34. 41. 42.

Leininga-Weſterburgius Comes, & fortis ille Germanorum bellator, Caſpar Schœnbergius (*f*) præfuerunt; atque adeo cohortes turmæque Proteſtantium Germaniæ pro Hugonottis & contra Hugonottos promiſcue pugnarunt. Claudius Aumalii Dux, Claudii Lotharingico ex ſanguine Guiſii Ducis filius, expectaverat Philibertum Metis, ut viribus junctis progrederentur in Galliam. (*g*) Philiberti & reliquæ copiæ quinque millibus equitum & quatuor millibus peditum conſtabant. Primarium exercitus Germanici, pro Rege in Galliam adventantis, Ducem eum appellat Thuanus (*h*). Sacris Romanis eum addictum fuiſſe, Labourerius (*i*) credidit. Andegavenſium Dux, Regis frater, Regium exercitum duxit, cui Philibertus ſe junxit. Hugonottorum Dux fuit Colinius.

§. XII.

In prœlio Moncontoriano occumbit.

Ad Moncontorium, Pictavienſis Provinciæ oppidum, die 3. Octobris A. 1569. ardens commiſſum eſt prœlium. Opus erat decretoria pugna. Utrinque rerum gerendarum defecerat nervus. Germanici in utroque exercitu milites meditabantur diſceſſum.

(*f*) Caſparus de Schœnberg, filius Wolfii, Sachſenburgicæ lineæ. Galli eum & omnes hujus nominis Schomberg appellant.

(*g*) *Hiſt. de France ſous les Regnes de Henri II.* Liv. VIII. pag. 560. Thuanus *Hiſtoriar.* Lib. XLIV. Cap. 22. & Lib. XLV. Cap. 9.

(*h*) Lib. XLIV. Cap. 22.

(*i*) *Additions aux Memoires de Caſtelnau* pag. 724.

Digitized by Google

ſum. In ſecunda Regiorum acie mille equites duxit Philibertus. Andegavenſis initio prœlii Badenſem inter atque Helvetios conſtitit; Badenſi Aumalium Ducem adjungens, cujus agmen latus Principis dextrum tegebat. Prima Regiorum acies cum à Colinio premeretur, laborantibus in auxilium miſſus eſt cum Aumalio Philibertus, qui in confertos hoſtes magno irruens ardore, impetu cecidit primo. Inſecutus eum novis cum copiis Andegavenſis reſtituit pugnam. Magna tamen Regiorum facta eſt ſtrages; & niſi Coſſæus, ad omnes caſus intentus, in tempore accurriſſet, Hugonotti omnium judicio reportaſſent victoriam. (*k*) Præter Philibertum noſtrum Rheingravius natu major occubuit in prælio. Petrus Erneſtus Mansfeldius, Gubernator Luxemburgi, quem Albanus Dux e Belgio cum copiis miſerat, graviter vulneratus in brachio, (*l*) ut & Rheingravius junior. Schombergius, vulneratus

(*k*) Idonei rerum, quas retulimus, teſtes ſunt CASTELNAU *Memoires* Liv. VII. Ch. 9. POPELINIERE *Hiſtoire de France* Tom. I. Liv. XIX. pag. 137. & 139. THVANVS *Hiſtoriar.* Lib. XLVI. Cap. 1. pag. 738. ſeq. AVILA *Hiſtoire des guerres civiles de France* Tom. I. Liv. V. p. 290. AUBIGNE *Hiſtoire univerſelle* Liv. V. Ch. 18. pag, 438. CHAPPUYS *continuator Annal. Nicolai Gilles* pag. 497. HENRICPETRI continuator Pauli Aemylii pag. 329. *Hiſtoire de France ſous Henri II. François II. Charles IX. & Henri III.* Liv. VIII. pag. 642. DE SERRES *Inventaire de l'hiſt. de France* p. 706.

(*l*) Mortuus nonniſi A. 1604. Luxemburgi ætatis 87. annorum. THVANVS

in latere, cum ſuis tamen in victoriæ ſignum pernoctavit in campo; (*m*) in quo tam glorioſe Philibertus occubuit. Talem vitæ ſuæ exitum nuper ſibi exoptaſſet moriens in lecto Wolfgangus.

§. XIII.

Sepultus Badæ.

Philiberti corpus ex Gallia reductum eſt Badam; ubi in Collegiata Badenſi poſitum ei his verbis monumentum: DEI GRATIA PHILIBERTUS, MARCHIO BADENS. COMES SPONHEIM. NATUS BADENÆ ANNO MDXXXVI. REGNAVIT PACIFICE ANNOS XIII. TANDEM GALLORUM REGI CONTRA SUOS REBELLES SUBDITOS FORTEM MILITEM SESE PRÆBENS VITAM SUAM IN GALLIA STRENUE PUGNANDO PROPE MONCONTOUR IN IPSA PUGNA CLAUSIT, ANIMAM DEO COMMENDATAM DIE III. OCT. AN. MDLXIX. REDDIDIT, QUI REQUIESCAT IN PACE.

Princeps in Hungarico & Gallico bellis tanta pugnans virtute, tam præcoci morte Marchiæ ſuæ ereptus, non potuit non magnum ſui apud omnes deſiderium relinquere. Auguſtanæ

Lib. 131. Cap. 17. vocat eum tot palmarum Ducem, veterem ac fidem Auſtriacæ Domus clientem.

(*m*) Elogium ejus dedit LABOVRERIVS *Additions aux Memoires de Caſtelnau* pag. 751.

Confeſſioni, uti pater, adhæſit, eorumque ſacra in ſuis terris promovit. Belgica hiſtoria nos docet, eum una cum Saxone, Brandeburgico, Haſſo & Wirtenbergico apud Margaretham Belgii Gubernatricem A. 1567. pro Proteſtantibus Belgis interceſſiſſe. Et tamen paulo poſt contra Hugonottos copias Carolo IX. non dubitavit adducere. Patuit tum Germanis Heroibus in Gallia Martis theatrum. Proteſtantes ibi pro ſociis religionis & contra eos promiſcue pugnarunt. Philib. Religio ejus.

§. XIV.

Mechtildis Bavara, quam Wilhelmus ex Maria Jacobea, Philippi Marchionis Badenſis, Philiberti patrui, filia, ſuſceperat, fuit uxor Philiberti, cum qua A. 1556. matrimonium contraxit. Uxor & liberi.

Philibertus Chriſtophori I. nepos fuit per filium Bernhardum: Mechtildis ejuſdem Chriſtophori fuit proneptis per filium Philippum. Tertio itaque gradu ſponſus & ſponſa erant inter ſe juncti. Sponſalia ſine prævia Pontificis diſpenſatione celebrata fuiſſe ægre tulit Paulus IV. ſcripſitque A. 1556. Idibus Quinctilis ad Cardinalem Epiſcopum Auguſtanum Ottonem, ut ſponſalia diſſolveret, utque diſſolutis ſuccederent nova. Poſt varias diſputationes denique A. 1557. die XIII. Jan. in Monaſterio D. Emerani Ratisbonæ Cardinalis pronuntiavit ſententiam, ut Philibertus 150. florenos Rhenenſes, totidemque Mechtildis, pro dotan-

Digitized by Google

dis filiabus pauperibus Monachii, pœnæ loco perſolverent, atque deinceps matrimonio jungerentur.

Mechtildis A. 1565. die 2. Novembris deceſſit. Ex conjugio quatuor liberi prodierunt. Philippus, qui patri in ditionibus ſucceſſit; tresque filiæ: Jacobea, Anna Maria & Maria Salome; quarum fata non transeunda ſilentio.

JACOBEA.

§. XV.

Jacobea uxor Wilhelmi Jul.

Jacobea, nata A. 1558. & in Aula Wilhelmi IV. Bavariæ Ducis, avi ſui materni, educata; deſponſata A. 1585. Jo. Guilielmo; Juliaci, Cliviæ & Montium Duci, ſuæ gentis poſtremo. (n) Feſtivitatis nuptiarum ejus ſolemnia, Duſſeldorpii die 16. Jun. eodem anno celebrata, DIETRICUS GRAMINAEUS, (o) MICH. AB ISSELT, (p) MICH. MAPPIUS (q) & BERNH. MOLLERUS (r) fuſe deſcripſerunt.

Jacobeam comitatus eſt Philippus frater, cum 25. Equitibus, magnoque Nobilium, aliorumque Aulicorum varii ordinis comi-

(n) REIDANUS in *Annal. Belg.* Lib. XI. pag. 268. Jacobeam cum ſorore Maria Solome, Leuchtenbergenſi Landgravia, confundit.

(o) Archigrammateus Bergenſis, edita Coloniæ Agrippinæ A. 1587. fol. cum figuris, ſub tit. *Fürſtliche Hochzeit.* vid. DITHMARUS in *Notis ad* TESCHENMACH. *Annales Cliviæ* pag. 357.

(p) *Hiſtor. ſui temporis* pag. 894.

(q) *Annales Juliæ* Tom. III. pag. 96. ſqq.

(r) Monaſterienſis patria. MOLLERUS *Epicum Carmen* elegans 36. foliis, quartæ formæ conſtans, compoſuit.

tatu. Aderat quoque Eduardus Fortunatus Marchio, patruelis Jacobeæ, cum non minore comitatu. Sed & ex Linea Bada-Durlacenſi Jacobus Marchio, magna turba ſtipatus, comparuit; quos inter Otto Rheingravius & Emico Falckenſteinius Comes. Maria Salome, Leuchtenbergenſis Landgravia, natu junior Jacobeæ ſoror, quoque ex Bavaria advenit. Equeſtres ludi, ignes feſtivi in Rheno, venationes, ſpectacula; omnia feſtivitatis genera Duſſeldorpii celebrata ſunt.

§. XVI.

Tot lætas ſolennitates excepit matrimonium infelix. Maritus mente captus, quandoque furioſus. Sibylla, natu minima mariti ſoror, dominandi avida, fratre ægroto, regimen aſſectavit, reluctante Jacobea; quæ ambitioſæ Sibyllæ denique victima evaſit. Adulterii enim cum Nobili quodam ex Hallis de Landſcheid (s) accuſata, adverſos quoque habuit Ducatuum Ordines; ſterile Ducis ſui matrimonium indignatos; ſecundarum nuptiarum ſpe vana illectos. Delegati à Rudolpho II. Cæſare ex Ordinibus Provincialibus Judices (t) Jacobeam, non omnino innocentem, nec tamen ſatis nocentem, A. 1597. damnarunt ad

Tragicus Jacobeæ exitus.

E 3

(s) Dithmarus in *Notis ad* Teschenmacheri *Annal.* p. 357. corruptorem Jacobeæ Comitem Manderſcheidium vocat, ſed contra fidem actorum.

(t) Negat Dithmarus à Cæſare vel delegatis ejus Jacobeam fuiſſe damnatam. Negat eam criminis objecti potuiſſe convinci.

PHILIB.

mortem. Capite truncata eſt (*u*) Duſſeldorpii occulte in palatio Ducali; (*x*) ſepulta apud Canonicos Regulares S. Crucis. (*y*) Antonia Lotharingica, quæ Jacobeæ ſucceſſit in thalamo, non fuit fœcundior. Decreverat fatum, Juliaci, Cliviæ Montiumque Ducatus alias ut ad Domos tranſirent.

ANNA MARIA.

§. XVII.

Anna Maria uxor Wilhelmi Roſenberg.

Secunda Philiberti filia, nata A. 1562. die 10. Jan. Wilhelmo Roſenbergæ Dynaſtæ, Burggravio Bohemiæ, Principis di-

(*u*) TESCHENMACHER in *Annal. Cliviæ* pag. 357. ait, eam, neſcio quo fato, mortuam. DITHMARVS *loco alleg.* ait, eam criminis nondum convictam, nocturno tempore in lecto ſuffocatam fuiſſe. REIDANVS in *Annal. Belg.* pag. 390. ait, fauces laqueo ei fuiſſe præcluſas, juſſu ſenatus. HVBNERVS quoque *Tab. Genealog.* 286. ſtrangulatam fuiſſe tradit.

(*x*) In Conclavi, quod à cygnis nomen habet. (Schwanenzimmer.)

(*y*) TESCHENMACHER *loco allegat.* ubi Jacobeæ laudes his verſibus celebratas producit:

„ Principibus celſis Badenſibus orta Jacoba
„ Clivenſis quondam prima marita Ducis.
„ Si formam ſpectes, ſi cetera, femina, dicas,
„ Digna hæc fortuna poll meliore fuit.

MOLLERVS inter alia ita ſcribit:

„ Thermiacis Badena tulit quam cognita Nymphis,
„ Quam bona bis ſeptem præferret Juno puellis,
„ It comitata quibus &c.

Digitized by Google

gnitate conſpicuo, (z) deſponſata eſt A. 1577. conciliante Rudolpho II. Imp. Jacobea vidua Wilhelmi IV. Bavariæ Ducis, Annæ noſtræ avia, una cum avunculo ejus Alberto V. Duce Bavariæ & Philippo fratre, Badenſi Marchione, pacta dotalia cum Roſenbergio inierunt d. 23. Sept. Vidualitium Annæ aſſignatum in Dynaſtia Gretzenſi, in Circulo Bechinenſi Bohemiæ ſita. Nuptiæ anno ſequente d. 27. Jan. maximo apparatu celebratæ Crumlovii. Aderat avia ſponſæ cum Alberto V. filio & Guilielmo nepote, Ducibus Bavariæ. Aderat Philippus ſponſæ frater & ipſe Cæſar Rudolphus II. magnaque Comitum & Dynaſtarum, Principes hos comitantium, turba. (a) At ſterile fuit hoc Annæ cum Wilhelmo matrimonium.

Wilhelmus, qui jam ante duas conjuges habuerat, Catharinam Brunsvicenſem & Sophiam Brandeburgicam, Joachimi II. Electoris filiam; ex quibus nullam ſuſceperat prolem, Anna defuncta, ad quartas feſtinavit nuptias, ducta Polyxena Pernſteinenſi, quæ ſobole quoque caruit. Wilhelmus ipſe, gentis ſuæ poſtremus, A. 1593. diem obiit ſupremum. (b).

(z) Principalis ei dignitas, à Rudolpho II. Imp. conceſſa. GOLDASTVS *de Regno Bohemiæ* Lib. I. Cap. 15. pag. 126. in notis.

(a) BALBINVS in *Epitome Rerum Bohemicar.* Lib. V. Cap. 14. pag. 603. & *Miſcellaneor. Decade* II. Lib. I. pag. 19. BVCELIN. *German.* Part. IV. p. 231.

(b) KHEVENHILLER *Annales Ferdinandei* Tom. IV. p. 1091. & BALBINVS in *Epitome* Lib. V. Cap. 14. p. 606. Genealogiam Roſenbergicæ gentis in *Originibus Guttenſteinianis* BALBINVS exponit.

PHILIB.

MARIA SALOME.

§. XVIII.

Maria Salome uxor Landgravii Leuchtenb.

Tertia Philiberti filia, nata A. 1563. d. 1. Febr. Georgio Ludovico, Leuchtenbergæ Landgravio, nupſit A. 1584. die Erici poſt Catharinæ. (*c*) Obiit A. 1600. mater trium liberorum; ex quibus Georgius Wilhelmus ſtirpem propagavit, pater Maximiliani Adami, ultimi Leuchtenbergæ Landgravii, quo extincto Landgraviatus ille ad Albertum Bavariæ Ducem, qui Mechtildem Leuchtenbergicam, Georgii Ludovici & Mariæ Badenſis filiam duxerat, tranſivit. (*d*)

(*c*) WIGULEJUS HUND A SULZEMOS *Bayeriſch Stammbuch* Tom. II. pag. 13.

(*d*) LUCAE *Fürſtenſaal* pag. 1267. SPENER *Hiſtor. Inſign.* Lib. I. Cap. 50.

CAPUT

CAPUT III.

CHRISTOPHORUS II.

PHILIBERTI FRATER

A. 1556 ----- 1575.

§. I.

Chriſtophorus, Bernhardi Marchionis poſthumus, die 26. Febr. (*a*) A. 1537. prodiit in lucem. Adoleſcens, pactione cum Philiberto fratre facta, A. 1556. ditiones Luxemburgo - Badenſes accepit. (*b*) Pacti hujus, jurejurando utrimque firmati, eum non ſemel pœnituit, ſed nulla ratione permoveri potuit frater, ut à pacto recederet.

Chriſtophorus ditiones Luxenburg. accipit.

(*a*) Junglerus 26 Maji ponit.

(*b*) Vide ſupra in Philiberto.

§. II.

Palatino, dein Hiſpaniæ Regi addictus.

Ab adoleſcentia ſua Chriſtophorus Aulæ Palatinæ conſtanter adhæſit. A. 1557. Ottonis Henrici, Electoris, conſenſu in Belgium ad Philippum II. Hiſpaniæ Regem ſe contulit, qui tum grave bellum contra Gallos moliebatur. In hoc bellicæ virtutis demonſtrandæ theatro comparuit Chriſtophorus. Frater omnia, ad expeditionem neceſſaria, ei ſuppeditavit. In Belgio honorifice ſuſceptus, commendatione Emanuelis Philiberti, Sabaudiæ Ducis, ſupremi copiarum Belgico - Hiſpanicarum præfecti, aulico Regis comitatui adſcriptus eſt; menſtrua quingentotorum florenorum penſione donatus. Sanguinolento mox interfuit prœlio, quo ad Fanum S. Quintini cæſus eſt Gallorum exercitus & captus ex parte.

§. III.

In Sveciam iter ſuſcipit.

Compoſita Gallos inter atque Hiſpanos Cambreſina Pace A. 1559. Chriſtophorus ad Aulam Palatinam, in qua novus tum regnaverat Elector, Fridericus III. rediiſſe videtur; ubi A. 1561. nobilis cujusdam feminæ, quam adamaverat, morte graviter afflictus, Suecicum iter ſuſcepit. Orebrcæ, in Comitatu Nericiæ, apud Suecos, cum aliquamdiu decubuiſſet ægrotus, delatus eſt Holmiam, ubi Ericus XIV. patri ſuo Guſtavo nuper in ſolio ſucceſſerat. Sororem Rex habuit Cæciliam, quam Chriſtophorus deinceps

Christop. II

petiit uxorem. (c) Conſenſit Ericus, ſed ob perpetuas, quibus Suecia cum Danis agitabatur, turbas, dilatæ ſunt nuptiæ. Eruperat enim bellum cum Danis. Chriſtophorus, adductis A. 1563. Germanorum equitum turmis, utilem in bello hoc Regi operam navavit. (d)

§. IV.

Nuptiæ ejus cum Cæcilia Svecica.

Nuptiæ, quæ jam Anni 1564. initio Calmariæ celebrari debuerant, (e) nonniſi Novembri celebratæ ſunt Holmiæ. (f) At paulo poſt Ericum invaſit ſuſpicio, Chriſtophorum atque Cæciliam, ſecreta cum Johanne Finlandiæ Duce, quem ſuſpicax Rex frater Gryphsholmiæ in Sudermannia captivum detinebat, conſilia fovere. Brevi ergo intervallo poſt nuptias ab Aula dimiſſi, nave conſcenſa, contenderunt Revaliam, Eſthoniæ caput, ubi ab ingreſſu arcis prohibiti, inſidiisque non ſemel petiti, ſpem inter & metum totam hiemem transegerunt.

(c) Olof Dalin *Geſchichte des Reichs Schweden* Tom. III. Part. I. Cap. IX. §. 11.

(d) Dalin loc. alleg. C. X. §. 2.

(e) Extant literæ invitatoriæ ad Wilhelmum Ducem Brunſw. d. 2. Febr. ſcriptæ; ad quas provocat Dalin loc. cit. §. 12.

(f) Messenius *Chronologiæ Scondianæ* Tom. VI. p. 27. & 28. & Dalin loc. cit.

CHRISTOPH. II. Domum redit.

At veris initio Chriſtophorus per Curlandiam, Pruſſiam & Vandalicas civitates uxorem ſuam deduxit in Belgium. (*g*) Rodemacheræ, quæ ditionis Badenſis in Luxemburgico Ducatu oppidum princeps, ſedem fixit Chriſtophorus, novamque ibi magnis ſumtibus arcem exſtruxit.

§. V.

In Angliam proficiſcitur.

Cæcilia, Regiæ Aulæ aſſueta ſplendori, mox Rodemacheræ pertæſa, maritum induxit, ut eodem A. 1565. quo appulit domum, iter ad Eliſabetham, Angliæ Reginam, inviſendam ſuſciperet, cujus matrimonium haud ita pridem Rex Ericus ambiverat. (*h*) Marchio, magnifice à Regina exceptus, paucos poſt menſes rediit domum; relicta apud Reginam conjuge, quæ Londini filium Eduardum, de quo infra differimus, eodem anno in lucem produxit. (*i*) Regina, ſingulari Cæciliam amicitia fo-

(*g*) MESSENIUS & DALIN loc. alleg. Errat THUANUS *Hiſtoriar.* Lib. XXXVI. Cap. 17. ubi ſcribit, Chriſtophorum ipſo autumno Anni 1564. conjugem ſuam per Vandalicas civitates domum duxiſſe; cum ſine demum hujus anni celebratæ fuerint nuptiæ.

(*h*) HUBERTUS LANGUETUS *Epiſtolar.* Lib. I. Epiſt. I. ad Auguſtum de itinere hoc ita ſcribit: „ Ajunt Marchionem eo navigaſſe, ut renovet „ veterem cantilenam de conjugio inter Reginam & Suecum, quod „ non puto eſſe verum, niſi iſti plane inſaniant. „

(*i*) CAMDENUS in *Annalibus rerum Anglicarum regnante Eliſabetha* Part. I.

Digitized by Google

vens, annuam bis mille coronatorum Anglicorum penſionem aſſignavit Chriſtophoro, quamdiu in Anglia moraretur Cæcilia. (*k*)

§. VI.

Creſcente tamen ære alieno, Chriſtophorus anno ſequente (1566.) clam venit Londinum, conjugem cum filio ut reduceret domum. Creditores, intellecto Chriſtophori conſilio, eum manciparunt cuſtodiæ. At intercedente Regina, datisque fidejuſſoribus, libertati reſtitutus eſt Marchio. (*l*) Paulo poſt ad fratrem Philibertum ſe contulit Badam, ubi alterum filium, Chriſtophorum Guſtavum, Cæcilia peperit menſe Auguſto. Uxorem cum filio in German. reducit.

Eodem anno Franciſcæ, matris ſuæ, hereditatem adivit Chriſtophorus, à qua non Ufeldingæ modo & Pittingæ dominia, quæ vidualitii jure poſſederat, ſed & Ruſſiaci Comitatvm, (*Comté de Rouſſy*) qui à Carolo patre in filiam Franciſcam tranſverat, accepit. Ab hoc tempore Chriſtophorus plures per annos Rodemacheræ ſedit; rem œconomicam tamen haudquaquam reſtituens. Philibertus A. 1567. eum hortatus eſt literis, ut Aulæ ſuæ Domin. Ufelding. & Pitting.

pag. 94. edit. Elzevir. Anni 1639. Thuanus *Hiſtoriar.* Lib. XXXVII. Cap. 4.

(*k*) Larray in *Hiſtoire d'Angleterre* Tom. II. p. 105. ſcribit, penſionem hanc Marchioni in perpetuum dediſſe Reginam.

(*l*) Languetus ad Auguſtum, Electorem Saxoniæ, Lib. I. Ep. 2. Lutetia 2. Jul.

CHRISTOPH.II.

imminueret ſplendorem. At circa id ipſum tempus Pittingenſe creditoribus oppigneravit dominium, cui redimendo deinceps Cæciliæ frater & Erici depoſiti ſucceſſor, Johannes, Sueciæ Rex, duodecim thalerorum millia, Cæciliæ dotis nomine, filio ejus, Eduardo Fortunato, perſolvit. (*m*)

§. VII.

Alterum ad Svecos iter.

Ortis A. 1568. religionis cauſa in Belgio turbis, quæ Luxemburgicum quoque infeſtarunt Ducatum, Chriſtophorus de ſecuritate ſua ſolicitus, à Philiberto fratre petiit, ut in Comitatu Spanheimenſi, vel alibi in Germanico ſolo, ſecuram à bello commodamque ipſi ſedem aſſignaret. Precibus his cum non annuiſſet Philibertus, A. 1570. vel initio anni ſequentis cum conjuge & duobus filiis in Sueciam ſeceſſit Chriſtophorus; affinis ſui Johannis, Sueciæ Regis, patrocinium implorans. Johannes A. 1572. Sonneburgum, Oſiliæ inſulæ oppidum, Marchioni dedit in feudum; (*n*) variiſque negotiis, in Germania expediendis, eum præfecit; Cæſari quoque per literas ejus curam commendans. (*o*)

1566. rem, uti refero, perſcribit. In ſecuritatem debitorum res Cæciliæ ab Anglis in cuſtodia retentæ. Bona hæc ut Cæciliæ reſtituerentur, Johannes, Sueciæ Rex, Cæciliæ frater, A. 1573. literis apud Eliſabetham Reginam interceſſit. DALIN *loc. alleg.*

(*m*) DALIN Tom. III. Part. II. cap. 12. §. 13.

(*n*) Literæ inveſtituræ menſe Junio datæ ſunt; teſte DALIN *loc. alleg.*

(*o*) Scriptæ hæ literæ d. 21. Julii & 26. Aug. A. 1572. DALIN *loc. alleg.*

Digitized by Google

CHRISTOP. II.

§. VIII.

Obitus.

At paulo poſt deceſſit Chriſtophorus A. 1575. d. 2. Aug. Rodemacheræ, ubi & ſcribitur ſepultus. Princeps meliore fortuna dignus; quem infelicem conjugium reddidit. Regiam Principem, regio cultui aſſuetam, num Rodemachera aleret; fœminam deliciis & voluptatibus fluentem; quam nihilominus impenſe amaverat maritus.

§. IX.

Uxor ejus desponſata Polon. Comiti.

Enimvero Cæcilia, Guſtavi, Waſæorum ex ſanguine primi Sueciæ Regis & Margarethæ,* natæ Abrahami Erichſonii de Loholm Weſtro-Gothiæ Gubernatoris, filia, antequam Chriſtophoro nuberet, deſponſata fuit Polonico Comiti Joanni Baptiſtæ, ex veteri Tenciniorum gente oriundo. (*p*) Fuerat ille Palatinus Belzenſis, & Sigismundi Auguſti, Poloniæ Regis, ad Ericum, Sueciæ Regem, legatus. Hic ante tempus nuptiarum cum fratre ſuo Johanne negotiorum cauſa nave profectus, à Danis eſt captus in mari & paulo poſt in cuſtodia periit. Anno enim 1563. ſeptennale bellum Suecos inter & Danos efferveſcere cœperat mari & terra.

(*p*) OKOLSKI *Orbis Poloni* Tom. III. pag. 21. & 22. ubi epitaphium ejus ex-

CHRISTOP. II.

§. X.

Quo defuncto nubit Christoph.

Tencinio mortuo Cæcilia Chriſtophoro noſtro, in Suecica tum Aula viventi, connubium promiſit. Matrimonialia pacta Holmiæ A. 1564. inita, Erico Rege, Cæciliæ fratre, conſentiente. (*q*) Die XI. Nov. ejusdem anni celebratæ ſunt nuptiæ. (*r*) In teſtamento Guſtavi, quod A. 1560. Procerum Sueciæ conſenſu firmatum eſt; centies mille thalerorum dos conſtituta eſt Regiis filiabus. Dos hæc juſſu Erici Regis, per Gerhardum Grammajum A. 1566. magna ex parte numerata eſt Chriſtophoro. (*s*)

Mores Cæciliæ.

Cæcilia, marito ſuperſtes, longiſſime vitam produxit, A. 1627. ætatis 87. defuncta; varii & inconſtantis animi fœmina, luxuria diffluens; quæ peregrinationibus perpetuis ſuas & mariti opes decoxit; neglecta plane cura liberorum. Virgo adoleſcens Guſtavi

---

hibet. Sepultus eſt in Krasnik. Pater Johannis Baptiſtæ fuit Stanislaus Gabriel, Belzenſis & Cracovienſis Palatinus, magnæ in Polonia auctoritatis Princeps.

(*q*) Inſtrum. extat in Tabulario Bada-Badenſi.

(*r*) DALIN *loc. alleg.* Cap. 10. §. 12.

(*s*) DALIN Tom. III. Part. I. Cap. 8. §. 34. & Cap. 10. §. 12. lit. a.

Guſtavi Regis, patris ſui, ſenectutem nimis libera adflixit. (*t*) Nupta virtutes inter & vitia fluctuans, maritum vel dilexit vel timuit. Vidua in gratiam Catharinæ Polonicæ, quæ Johannis, Sueciæ Regis, fratris Cæciliæ, fuerat uxor, ſacra mutavit. Reditibus apud Svecos donata, fluxis moribus turbidoque ingenio fratrum & bonorum omnium animos offendit. (*u*) Poſtremo, Suecia relicta, terras longinquas peragravit ignota, &, Reidano (*x*) ſi fides eſt, rerum Belgicarum ſcriptori, flagitioſam ob vitam, a Carolo filio Antwerpiæ comprehenſa, remoto ab hominum acceſſibus loco incluſa eſt. Christop. II.

§. XI.

Chriſtophoro Cæcilia ſex filios peperit, quos ordine enarro. Liberi Chriſtoph.

1. Eduardus Fortunatus, qui patri in terris Luxenburgicis, Philippo agnato, ſine maſculis mortuo, in Badenſibus ſucceſſit.
2. Chriſtophorus Guſtavus, qui in lucem editus Badæ A. 1566. 13. Aug. cœcus & claudus, miſeram vitam traxit usque A. 1609. Rodemacheræ Anno ætatis XLIII. defunctus.

(*t*) Olaus Celsius in *Hiſtoria Guſtavi I.* Tom. II. p. 430. ſq.

(*u*) Dalin *loc. alleg.*

(*x*) *Annal.* Lib. XI. pag. 297. ſeq.

CHRISTOP. II.

3. Philippus, Rodemacheræ natus die 15. Aug. A. 1567. Hic poſt Eduardi Fortunati, fratris ſui, mortem ab Erneſto Friderico, Bada-Durlacenſi, qui Marchiam Bada-Badenſem occupaverat, benigne habitus eſt in Caſtro Etlingæ, ubi libere commorabatur. At, mortuo Erneſto, cum ſucceſſiſſet frater, Georgius Fridericus, altiora meditari cœpit Philippus, conſilio de Marchia ſuperiore occupanda ſuſcepto. Eum in finem milites occulte conduxit, abſenteque Georgio Friderico, qui Landgravium Haſſo-Darmſtadienſem feſtivitatis cujusdam occaſione inviſerat, conſilium exequi decrevit. Sed prodita res. Philippus Etlinga ductus eſt cum aſſeclis Durlacum captivus; indeque translatus Hachbergam, quo in Caſtro poſt quindecim annorum captivitatem A. 1620. die 6. Nov. deceſſit; ſepultus Sexaviæ; qui vicus eſt infra Hachbergam. (y) JUNGLERUS eum Principem non usque adeo bonæ mentis & judicii vocat.

4. Carolus, Rodemacheræ quoque natus A. 1569. die 7. Martii. Magnæ ſpei Principem vocat JUNGLERUS. REIDANUS autem nigris eum coloribus depingit, occaſione matris, quam liberius viventem Antwerpiæ truculenter

(y) Jo. LUD. GOTTFRIDI *Chronica* Part. VIII. p. 1063.

tractaverit, addens Carolum brevi poſt morbo correptum, attritumque donec extingueretur; Nemeſis divinæ exemplum. (z) Mortuus eſt Genuæ A. 1590. ex Hiſpania redux. (a)

5. Bernhardus natus A. 1570. menſe Decembri; obiit infans.

6. Joannes Carolus, natus in Suecia A. 1572. Eques Ordinis Melitenſis, in bello Belgico militans A. 1599. deceſſit.

Jo. Bertelius, Epternacenſis Monaſterii Abbas, Synchronus ſcriptor, in Hiſtoria ſua Luxemburgenſi (b) de Eduardi Fortunati fratribus ita ſcribit: „ Natu illorum prædicto-
„ rum fratrum tertius (c) cum ad Regem ſibi affinem in Hiſpa-
„ nias profectus eſſet, negotiis peractis, ad propria remeans in
„ via morbo lethali correptus, ſuccumbens moritur. Quarto (d)
„ deinde dominia in Luxemburgenſi principatu & Quinto (e)

(z) Reidanus loc. alleg.

(a) Junglerus.

(b) Editionis Colonienſis A. 1605. pag. 190. ſq.

(c) Bertelius Carolum intelligit; qui in ordine filiorum Chriſtophori quartus eſt.

(d) id eſt, Philippo; qui tertiogenitus fuit Chriſtophori filius.

(e) Johanni Carolo.

„ Melitenſis Equeſtris ordo contigit. Secundus (*f*) denique to-
„ tus claudus in Bavaria apud conſanguineos Ingolſtadii ali-
„ quamdiu vitam degit; poſtremo ad Caſtaloniam veniens in
„ Comitatu Spanheimenſi manſit & modo in Rodenmach mo-
„ ratur.

(*f*) Guſtavus Chriſtophorus.

Digitized by Google

CAPUT IV.

PHILIPPUS II.

PHILIBERTI FILIUS.

A. 1569. — 1588.

§. I.

Patrem ſagatis virtutibus clarum filius clarior togatis excepit. Philippus II. Anno 1559. die 19. Febr. natus, annis novendecim præfuit Marchiæ; ex Lineæ Bada-Badenſis ramo ſeniore poſtremus. Tutelam ejus geſſit Albertus V. Bavariæ Dux, & avia, Maria Jacobea Badenſis, quæ Wilhelmo IV. Duci fuerat matrimonio juncta. Intervenit Carolus II. Bada-Durlacenſis Marchio, qui agnationis jure ſibi vindicavit tutelam, Bavaroque in Comitiis Spirenſibus A. 1570. eam ob cauſſam in- Philippi tutela.

Digitized by Google

tenderat litem. Maximilianus II. Imp. A. 1571. die 29. Aug. Philippum decimo tertio ætatis anno majorem ætate declaravit, adeoque liti impoſuit finem.

In Religione Romana educatur.

Philippus, in Romana religione ab avunculo educatus Alberto, cum perveniſſet ad regimen, in ſuperiore Marchionatu eadem ſacra reducere ſtuduit. Ab officiis remoti ſunt, qui a Proteſtantium ſacris diſcedere noluerunt.

§. II.

Monaſteria Albæ Dominar. & Reichenbach.

Defuncta A. 1573. Albæ Dominarum Abbatiſſa, Spirenſis Epiſcopus novæ eligendæ diem monialibus præfixit. Philippus Marchio ſui id eſſe juris arbitratus, re cum Epiſcopo communicata, electionis deſignavit tempus. In eodem Monaſterio A. 1580. & 1588. albergariæ & ſequelæ, ut vocantur, plurimaque alia jura Philippus, territorii dominus ab ipſo monaſterio ſalutatus, exercuit. Sed & in Reichenbacenſi Benedictinorum Monaſterio eadem ſibi jura vindicavit, ut Acta Badenſia hujus ævi teſtantur.

§. III.

Litium cum Schwarzac. origo.

In hæc tempora quoque incidunt lites cum Schwarzacenſi Abbatia; quæ cum CASPARE BRUNNERO, Abbate, A. 1573. ortæ. Inter alia de propriis Abbatiæ hominibus, qui

ſervi D. Petri (*a*) vocantur, certatum eſt. Abbas A. 1573. varias ob cauſſas captus Eccleſiaſtico traditus eſt judici. Res ad Argentinenſem, dein ad Moguntinum Antiſtites, denique ad Summum Pontificem provocatione delata. Temporalium Abbatiæ jurium adminiſtrationem interea Philippus exercuit. Brunnerus Abbas literis A. 1579. & 15583. datis, territorii dominum eum agnovit. Inter hæc Marchio hominibus propriis Monaſterii interdixerat, ne mercatum Lichtenberga-Hanoicum, in vicino Lichtenaviæ oppido tum inſtitutum, frequentarent. Delata inde ad Cameram Imperii controverſia, A. 1585. fortiter agitata, ſed non deciſa. Denique Abbas, annua penſione contentus, depoſuit munus; mutata mox ſententia, quæ egerat revocans. Philippus A. 1585. Romam profectus, a Gregorio XIII. obtinuit bullam, qua Schwarzacenſis Abbatia, ſalvis Marchiæ juribus, in Seminarium, Patribus ſodalitatis Jeſu committendum, convertebatur. Bullam deceſſoris Sixtus V. firmavit. At Imperii Camera, decreto d. 16. Oct. A. 1585. dato, ſe oppoſuit Bullæ. (*b*)

(*a*) *Sanct Peters Leuthe.* Monaſterium D. Petro dicatum.

(*b*) Abbas Gallus in *Chron. Mſ. Monaſterii Schwarzach.* Item Diatriba, cui Tit. *Actenmäſsige Geſchichts-Erzehlung Schwarzach contra Baaden* pag. 3. ſeq. pag. 158. ſeq. *Species facti cum extractu actorum in Sachen des Durchlauchtigſten Hauſes Baaden-Baaden* &c. pag. 4. 5. 15. 45.

Digitized by Google

§. IV.

Ordinationes foreſtales Phil.

In re venatoria & foreſtali Marchiæ & vicinorum locorum multi à longo tempore invaluerant abuſus. Communi ſuper hos conſilio cum Chriſtophoro, Wirtenbergæ Duce, deliberavit Philippus, & in oppido Weil ſuper difficultates, hinc inde natas, transegit. Quin & A. 1574. atque biennio poſt Ordinationes foreſtales emiſit in publicum.

§. V.

Caſtri Badenſis exſtructio.

Caſtrum, quod Chriſtophorus I. Marchio, a montibus deſcendens, prope oppidum Badam in vicino colle exſtruxerat, pronepos deſtruxit Philippus; aliudque ſpatioſius & ornatius a fundamentis erexit; quod circa A. 1579. perductum ad finem. Palatium ſubſtructionibus, cameris, cellis, rupi inciſis, mirabile, temporibus bellicis omnem Principis familiam cum armamentario, militibus, miniſterialibus, recipere, tegere, quin & contra tormentorum impetus defendere potuit. Novi hujus Caſtri formam, atria, cœnacula, conclavia, picturas item, quibus ornata erant, una cum hortis ejus oculatus rerum, quas viderat, teſtis deſcripſit GAMANSIUS. At nonniſi levis ejus delineatio ſupereſt. (c) Periit illud bellico incendio, A. 1689. una cum

(c) In *Topographia Sueviæ* MERIANI A. 1643. edita, pag. 12. ubi Caſtrum

Phil. II.

cum oppido combuſtum; poſtquam per CX. annos ſubſtitiſſet. Reſtituta pace reconſtructum eſt illud, quod hodie cernimus; cui denique Raſtadienſe ſucceſſit.

§. VI.

A. 1582. die 11. Sept. Rudolphus II. Imp. Philippo & agnatis ejus omnia majorum privilegia & jura, ſcripto Auguſtæ Vindelicorum diplomate, confirmavit. Acta varia.

A. 1583. Calendarium Gregorianum, quod plerique Ordinum Romano-Catholicorum, Cæſare auctore, receperant, in Marchia quoque ſua introduxit Philippus; Juliani Calendarii uſu in Marchia Durlacenſi manente.

Eodem anno, Februario menſe, Philippus una cum Huprechto, Comite Eberſteinenſi, Philippi Comitis tutore, Gernſpacenſes & vicorum quorundam adjacentium cives manumiſit; ex hominibus propriis eos liberos conſtituens. Eberſteinenſem Eberſtein. rosa.

Tom.III. H

cum oppido Bada æri inciſum. Uberior partium & picturarum hujus Arcis deſcriptio ſubjuncta eſt Genealogiæ Badenſi MS. Gamansii, de qua in Badenſium Rerum Scriptoribus in Præfatione diſſerui.

Digitized by Google

Phil. II.

Roſam ſcuto Badenſi in inſignibns ſuis quum addidiſſet Philippus Badenſis, Eberſteinii Comites, injuriam ſibi factam arbitrati, interceſſerunt. His aliisque litibus tollendis, inſtitutum A. 1584. colloquium, ſed de Roſa (*d*) nihil mutatum. Ab hoc tempore Badenſes Eberſteinii Comitis nomine atque inſignibus conſtanter ſunt uſi. Wolfgangi Bipontini filius, Johannes A. 1584. de reluenda Grævenſteinenſi Dynaſtia cum Philippo Marchione tractavit; ſed Badenſes reluitioni locum dare noluerunt. (*e*)

§. VII.

Legatio Venetias decreta.

A. 1585. Philippus noſter & Erneſtus Bada - Durlacenſis, ſumtu communi legatum, rerum hiſtoricarum peritum, Venetias mittere decreverant cum literis ad Venetorum Ducem, quibus petebant Marchiones, commendatitias legato literas ut daret Senatus ad Civitatem Veronam, ut in ea & in Monaſteriis Marchiæ Veronenſis inquireretur I. Quando majores eorum provinciam illam gubernandam acceperint. II. Quamdiu eam rexerint. III. Quid ab illis in Marchia præclare geſtum. Literæ hæ, lati-

(*d*) Roſa vetus eſt Comitum Eberſteinorum inſigne. Aper, a nomine deſumtum, junioris ætatis eſt, ortus haud dubie, ut Eberſteinium vetus a juniore diſtingueretur.

(*e*) *Acta in Tabulario Bada-Badenſi.*

no ſermone ſcriptæ, in Tabulario Bada-Durlacenſi ſuperſunt. Legatio autem num habuerit locum, non liquet. Ex literis autem liquet, Marchiones non credidiſſe, majores ſuos Italicæ fuiſſe originis, ſed eos ex Germania cum Imperatoribus in Italiam porfectos, Urbi totique tractui Veronæ ab iisdem fuiſſe præfectos.

A. 1586. Sixtus V. Pontifex Philippo Marchioni Philippum, Epiſcopum Placentinum, Sedis Apoſtolicæ Nuntium, ad Rudolphum II. Imp. iter facientem, commendavit. (*f*)

§. VIII.

Inter hæc majoris molis opus perfecerat Philippus. Anno enim 1588. die 2. Januar. Statuta provincialia (*g*) Marchionatus ſui Bada-Badenſis, in quibus digerendis laboratum eſt diu, perduxit ad finem. Statuta hæc nunquam fuere typis mandata, ſed manu exarata in ſcriniis ſervantur. Veteres Marchiones, quæ per aliquot ſecula ordinaverant ſinguli, ea in unum Juris Statutarii Bada-Badenſis Corpus, quinque partibus conſtans, colligi juſſit Philippus, ad Juris provincialis Wirtembergici normam. Statuta provincial.

(*f*) *Codex Diplom. Bad.*

(*g*) *Das Landrecht.*

In prima parte judiciarius ordo, proceſſus civilis, & quicquid ei adhæret, tractatur. Secunda pars de conventionibus atque contractibus; tertia de ultimis voluntatibus; quarta de ſucceſſione ab inteſtato, quinta de criminibus eorumque pœnis mentem Principis exponunt. (*h*) Opus haud exigui laboris tam juſto & tam æquo Principe dignum.

§. IX.

Obitus & Character ejus.

Dignus & ipſe fuerat Philippus, vita ut longiore frueretur. At ejusdem anni 1588. die 17. Junii, vigeſimo nono ætatis Philippus deceſſit; vividi & præſtantis ingenii princeps, literarum & literatorum amans & ipſeque literatus. Singularis ejus in vetera Romanorum Monumenta & in literas elegantes amoris ſpecimen eſt, quod Etlingenſem Neptunum, monſtro comitatum marino, lapidi inſculptum, cum ſubjecta Inſcriptione, quem ſub Philiberto Bavari tutores in Bavariam abſtulerant, ipſe ex Bavaria Etlingæ ſuæ, ubi olim repertus, non ſine labore ſumtibusque reſtituit. (*i*) Ingolſtadii literis incumbens Rectoratum Academicum

(*h*) WOLFGANGUS ADAMUS SCHOEPFIUS, Tubingenſis Profeſſor; *in Diſſertatione*, A. 1745. Tubingæ edita, opus hoc ſuis laudibus extollit & ſumma ejus capita exponit.

(*i*) ALSATIA ILLUSTRAT. Tom. I. pag. 493.

Digitized by Google

Phil. II.

A. 1572. & biennio poſt geſſit. In eo tamen deſideres, quod in elegantias nimis propenſus, negleƈta rei familiaris cura, ære alieno ſuam Marchiam oneravit. A. 1582. ab Ordinibus provincialibus ducenta florenorum millia impetraverat; (*k*) ſed ob Aulæ ſuæ ſplendorem, quotidianos inter ſumtus, auƈta ſunt debita, quæ Gallicum, Italicum, Belgicumque itinera, A. 1583. & ſequente multum adauxerant. Conſiliarii ejus, miſſo in Belgium Vice - Cancellario Zimmero, ei denuntiarunt unamines, ſua ſe depoſituros eſſe munera, impenſis niſi poneret modum. Philippus, qua erat animi docilitate, eos audivit benigne; ſed impenſas non minuit.

§. X.

Sibyllam, Wilhelmi Ducis Juliaci & Cliviæ filiam, A. 1586. ſibi deſponſavit Philippus. Ejusdem Sibyllæ frater, Johannes Wilhelmus, poſtremus Juliacenſium Dux, Jacobæam, Philippi ſororem, anno præcedente, ut vidimus, conjugem duxerat. Lahræ & Malbergæ Dynaſtiis aſſignatum eſt dotalitium Sibyllæ. Auƈtore & ſuaſore Sixto V. quem Romæ inviſerat, ſponſalia hæc contraxit Philippus, ut ex literis Pontificis, A. 1585. die XIII. Julii. Roma ad Marchionem ſcriptis, apparet. (*l*) Sponſa.

H 3

(*k*) *Species faƈti contra Schwarzach.* pag. *6.*

(*l*) *Codex Diplom. Bad.*

Idem Pontifex aliis literis XII. Octobris nuptias cum Sibylla gratulatus eſt Marchioni. Sed ante conſummatum matrimonium Philippus deceſſit ſponſus; Marchiam ſuam patrueli Eduardo Fortunato relinquens, qui corruptis moribus ſuis eam evertit.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT V.

EDUARDUS FORTUNATUS.

A. 1588 — 1600.

§. I.

Bada nullum Principem vidit, cujus lætiora exordia; cujus nativitas felicioribus illuſtrata ominibus, quam Eduardi natales. In bellico Suecorum theatro pater ejus comparuit heros. Mater magni Guſtavi Waſæi filia, qui Svecicum virtute ſolium ſibi poſterisque paravit. Naſcentem in Britannia Eduardum magnanima illa Anglorum Regina, Eliſabetha, una cum Galliæ Rege in initiatione ſacrorum ſibi filium adoptat, nomenque Eduardi, Angliæ Regno tam carum, eidem imponit; *Fortunati* axioma ſubjungens, ut in ipſo nativitatis exordio ei deſponderet fortunam, redderetque faventem. (*a*) Verum enimvero præclara Introitus.

(*a*) LANGUETUS *Epiſtolar. ad Auguſtum Electorem* Lib. I. Epiſt. I. CAM-

Digitized by Google

EDUAR. FORTUN.

hæc Principis infantis ad magna, ut videbatur, prognati, omina in adoleſcente deinceps disparuerunt; qui in juventa quoque inconſtans ſemper & varius, adverſæ ſuæ ipſe fuit faber fortunæ; in omni ſua vita levis; quin & præceps in morte. INFORTUNATUM diceres morientem & vivum. Et tamen faverat adoleſcenti providentia, ut areſcente Lineæ Bada-Badenſis ramo ſeniore, ex Luxenburgicis rami junioris terris ad ſuperiorem Badæ Marchiam vocaretur Eduardus; Lineæ ſuæ propagator deſtinatus a cœlo. Sed terras ille nactus, magnis debitis oneratas, oneravit majoribus; Belgicis in Aula Bruxellenſi irretitus deliciis; Marchia ſua quaſi extorris; unde regimen infelix; quod vita ejus enarranda docebit.

§. II.

Eduardi initia.

Natus A. 1565. d. XVII. Sept. Londini, ex Anglia Rodemacheram, Rodemachera Badam; denique A. 1570. cum parentibus in Sveciam tranſivit. Chriſtophoro patre amiſſo, vix decennium agens, Luxenburgicas A. 1575. ditiones accepit; quas dein A. 1588. poſt Philippi Badenſis obitum cum Marchia ſuperiore conjunxit. Minor ætate Wilhelmum V. Bavariæ Ducem, Principem pium & probum, accepit tutorem.

§. III.

DENUS *Rerum Anglicar. regnante Eliſabetha* Part. I. ad A. 1565. THUANUS *Hiſtoriar.* Lib. XXXVII. Cap. 4. p. 423.

§. III.

Eduardus viginti duorum annorum juvenis A. 1587. ſuſcepto in Sveciam itinere, ad Comitia Wadſtenenſia ſe contulit, in quibus avunculi ejus, Johannes Sveciæ Rex & Carolus Sudermanniæ Dux, poſitis utrimque ſimultatibus, ad concordiam redierunt. Rex Sveciæ non ſine pompa ſuum ex ſorore nepotem, Eduardum noſtrum, excepit; (*b*) qui Calmariam dein & Stegeburgum ſecutus eſt Regem; brevi poſt cum filio ejus Sigiſmundo, cui poſt Stephani Bathorii mortem Poloni eodem anno regnum detulerant, in Poloniam abiturus. Nec inutile ei fuit hoc iter. Sigiſmundus enim A. 1587. teloniorum Regiorum ordinationem Eduardo conceſſit. A. 1588. eidem omnium metallifodinarum Poloniæ tradidit jura. (*c*) Iter Svecicum & Polonicum.

§. IV.

Ex Polonia redux A. 1589. cum Chriſtophoro Guſtavo, Philippo, Carolo & Johanne Carolo fratribus, de ſucceſſione terrarum hunc in modum transegit: Marchia ſuperior cum Spanheimenſi Comitatu ſoli cedat Eduardo; qui & onera, his ditioni- Cum fratribus tranſigit.

(*b*) Messenius *Chronologiæ Scondianæ* Tom. VII. p. 81.

(*c*) Vide Cod. Diplom. Bad. ad hos annos.

Digitized by Google

EDUAR. FORTUN.

bus inhærentia, in ſe ſuſcipiat; fratribus annuæ mille florenorum aſſignatæ penſiones; quæ ſingulorum morte, vel ſi eccleſiaſtica beneficia ejuſdem valoris impetraverint, extinguantur. Iidem fratres Luxenburgicas Dynaſtias cum oneribus teneant, matrique alimenta præbeant: inveſtituram feudorum ſuo & fratrum nomine accipiat Eduardus; at ſuæ quisque ditionis conferat feuda; homagium nonniſi poſt impetratam Cæſaris confirmationem exigatur.

§. V.

Regimen adit.

Eduardus non expectato Cæſaris conſenſu A. 1589. Marchiæ ſuperioris regimen adiit; atque hoc & ſequenti anno ob æs alienum & turbas, quæ in Gallia agitabantur, varios conventus provinciales habuit; expeditionis Gallicæ ſuſcipiendæ cauſa petens tributum. Furentes illa hieme Rheni aquæ inundationibus ſuis magna per Marchiam, Dachslandiæ præſertim, damna dederunt; quibus reparandis Eduardus cum Erneſto Friderico, Durlacenſi, menſe Februario, habuit conventum; eodemque tempore, acceptis ab Erneſto quadraginta florenorum millibus, eidem potiorem frumenti & vini partem, quæ ex conventione majorum a Durlacenſibus ſuperiori Marchiæ in ſupplementum quotannis pendebantur, ſub reluendi tamen lege, remiſit. *(d)*

(d) Vid. Transactio Etlingenſis in Cod. Dipl. Bad. ad A. 1629.

Digitized by Google

§. VI.

Poſthæc in Alexandri Farneſii, Parmæ Ducis, & Gubernatoris Belgii Hiſpanici, Aula Bruxellis aliquandiu vixit Eduardus. Ibi Mariam, Jodoci ab Eycken, Bredæ Præfecti, filiam, occulto ſibi matrimonio junxit die 13. Martii A. 1591. impetrata ab Officiali Bruxellenſi rituum publicorum omiſſione. Johannes de Nivellis, Eccleſiæ S. Gudulæ, quæ primaria Bruxellenſium eſt, presbyter, Cancellariæ Brabantinæ ſacellarius, matrimonium conſecravit. Matrimonium cum Maria ab Eycken.

Paulo poſt Eduardus, relicto Belgio, Badam ſe contulit, ad Italicum ut ſe iter pararet. Natalitia Chriſti eodem, quem memoravimus, anno (1591.) celebravit Mediolani. Comites itineris erant Maria conjux & Bornius, Collegiatæ Badenſis Præpoſitus, qui ipſi a confeſſionibus erat. Inde Romam adivit, atque in reditu aliquantum temporis hæſit Murani, quod celebre maris Adriatici oppidum eſt, in pulcherrima inſula prope Venetias ſitum. Ibi filiam ei Lucretiam peperit Maria, quam legatus Pontificis, (e) Venetiis degens, de baptiſmatis fonte ſuſcepit. Iter Italicum.

(e) Epiſcopus Vincentinus.

Eduar. Fortun.

§. VII.

Legatio ad Bavarum de confirmando matrim.

Poſt reditum ad Badæ penates gravida iterum quum fuiſſet Maria, matrimonium ſuum clandeſtinum eſſe diutius noluit. Ante omnes conciliandus erat Wilhelmus V. Bavariæ Dux, ſub cujus tutela nuper vixerat Eduardus. Matrimonium ut ille probaret, Piſtorium, hominem facundum & doctum, de quo ſupra diſſerui, (*f*) qui Conſtantiæ tum vixerat, ablegavit Monachium, rem omnem ut exponeret Duci: Eduardum nempe ante biennium legitimo matrimonio conjugem ſibi adjunxiſſe Mariam, obtentaque jam Summi Pontificis confirmatione, ne mutet ſententiam, religione impediri. Sperare ergo Marchionem, matrimonium non improbatum iri a Duce.

§. VIII.

Reſponſio Bavari.

Bavarus, audita Marchionis legatione, ab initio in alia omnia diſceſſit; multa de rebus ab Eduardo ſuſceptis conqueſtus: Cæſare & ſe curatore ignaris nuper eum exegiſſe homagium. Bis eum, non ſalutato Duce, per Bavariam iter feciſſe; Aulæ ſuæ comitatum, contra quam promiſerat, auxiſſe: inſtitutis peregrinationibus multis, æs alienum, a deceſſoribus contractum, cumulaſſe; cui tamen exſolvendo Marchionatum omnem, fratribus

(*f*) Tomo I. in Præfat.

Eduar. Fortun.

excluſis, acceperit ſolus. Queſtus eſt porro Dux, Eduardum, ſpretis Cæſaris miſſis, Juliacenſem & Leuchtenbergicam cauſſam in contemtum Cæſaris ac Ducis neglexiſſe; a perverſorum hominum conſiliis eum ſemper pendere; aſſignatas fratribus non exſolvere penſiones & monita Ducis contemnere; quem perpetuæ creditorum Eduardi ſollicitationes exagitent. Addidit Dux, eum peregre abeuntem terras ſuas Lutheranis commendaſſe Principibus, atque in Conventibus Circulorum iisdem ſuffragia ſua, in detrimentum religionis Catholicæ permiſiſſe. Hæc & alia Piſtorius, qua meliori potuit, ratione purgavit & denique Wilhelmum V. permovit, ut a matrimonio alienum ſe non fore profiteretur. Marchionem tamen monuit Bavarus, ut Cæſarem, Poloniæ Regem & Marchionem Durlacenſem, ceterosque, ad quos pertineat, de matrimonio ſuo redderet certiores. Relatio, quam de negotio hoc ad Eduardum miſit Piſtorius, ſcripta eſt die 30. Martii A. 1593. Erneſtus Fridericus, Durlacenſis, ob legationem hanc graviter ſuccenſuit Piſtorio; deceptum ab eo Bavariæ Ducem cauſatus. (*g*)

(*g*) Piſtorius ea de re A. 1601. die XIII. Februar. literas dedit ad Carolum Orscelaer, Præfectum Provincialem, (*Landhofmeiſter*) quarum excerpta occurrunt in Literis reſponſoriis Alberti Archiducis Auſtriæ, tutoris liberorum Eduardi Fortunati ad Georgium Fridericum Marchionem A. 1609. In literis his ita loquitur Piſtorius: „ Accidit, quod

Digitized by Google

EDUAR. FORTUN.

§. IX.

Matrimonii publicatio.

Eduardus autem, accepto Bavari conſenſu, nuptias cum Maria publice celebravit in palatio Badenſi die XIV. Maji A. 1593. Adhibuit teſtes Richardum Roardum a Neuenſtein, Mareſchallum; Joannem Aſchmannum Cancellarium, Alexandrum Hæmel, Procancellarium, & Simonem Petrum Luon, Conſiliarium. Franciſcus Bornius, Præpoſitus Badenſis, negotio aderat ſacerdos, ipſe Principis eccleſiaſtes & ab Eccleſiaſticis conſiliis. (*h*)

A. 1594. Clemens VIII. Pontifex legatum ſuum Ludovicum, Cardinalem Madrucium ad Comitia Ratisbonenſia, in quibus de bello contra Turcas gerendo deliberabatur, abeuntem, commendavit Eduardo. (*i*)

„ metuebam. Illuſtriſſimus enim Erneſtus Marchio, qui me adjutorem negotii veſtri eſſe putat, mirabiliter in literis ad Bavarum in me debacchatur, in mea fallaci loquentia & artibus malis circumſcriptum Bavarum ſcribit, ut Eduardi nuptias comprobaret, ſed injuriam mihi fieri, & literæ meæ & ipſe Sereniſſimus Dux pater teſtabuntur. Mirum illos homines ſic ardere in me odio, ut ne quidem a falſis criminationibus abſtineant. „

(*h*) Bornius poſt occupatam ab Erneſto Friderico Marchiam ſuperiorem, relicto Eduardo, ad Erneſtum tranſivit; a quo tamen paulo poſt carceri mancipatus eſt & denique dimiſſus. Vixit adhuc A. 1609.

(*i*) Cod. Dipl. Bad.

Hic eodem anno die 13. Maji teſtamentum condidit vivus & valens; atque Mariam, ſi fieret vidua, liberosque ex ea prognatos, Marchiæ bonorumque ſuorum conſtituit heredes.

§. X.

Erneſtus Durlac. Marchiæ ſuper. ſequeſter.

Poſt hæc Eduardus, indole ſua ad voluptates propenſus, Bruxellis apud Erneſtum Archiducem, Belgii Hiſpanici Proregem, cujus Aula dignitate, ſplendore, elegantia, cum regiis illius ævi certavit, plerumque verſatus eſt, debitorum a patre & a patruele Philippo, cui in Marchia Badenſi ſucceſſerat, contractorum, incurius; annuas non ſolvens penſiones; bona mobilia, a Philippo relicta, dilapidans. Cumulatum ita in dies æs alienum, obrutus debitis Principatus in eo erat, ut diſtraheretur in partes. Ad Cæſarem Rudolphum II. confugiunt creditores; quibus immiſſio in bona conceditur. Bavaro & Lotharingo res omnis commiſſa, qui eam commendant Fuggero. (*k*) Durlacenſes fratres ad delendum commune Gentis ſuæ incendium cito pede accurrunt; ſuperioris Marchiæ ſe conſtituunt ſequeſtres; ne

(*k*) REIDANUS *Annal. Belgicor.* Lib. XI. pag. 297. ſcribit, Eduardum præſcripta a Cæſare pecuniæ ſumma non contentum, Marco Fuggero ditionem ſuam & hereditarium in eam jus vendidiſſe, reſervatis ſibi quotannis, donec ſupereſſet, ſeptem & triginta Imperialium millibus, Sed de venditione hac in Badenſium ſcriniis nihil reperio. Eduardus ſolvendo æri alieno terras ſuas oppignerare voluerat Fuggero, reſerva-

EDUAR. FORTUN.

antiquiſſimum Badenſis Domus patrimonium, unde origo eius & nomen, transferatur ad alios; conſilium, quod nec ipſum Minois damnaſſet tribunal. Exterus cur exequatur, quod exequi poſſunt debentque agnati. Occupationem hanc Marchiæ ſuperioris A. 1594. ineunte Novembri factam, ſcripto, in publicum emiſſo, Erneſtus Fridericus defendit, ut ſuo loco videbimus.

§. XI.

Eduardi geſta in Belgio.

Eduardus Fortunatus, e terris ſuis exul, apud Albertum Auſtriacum, & Iſabellam Claram Eugeniam, Belgii Hiſpanici Principes, (*l*) maximam temporis partem, transegit Bruxellis; in bello adverſus Belgas Fœderatos ſtipendia meritus. Albertus, fuſis A. 1597. quas Mauricio, Arauſionis Principi, Belgarum Fœderatorum ſummo belli Duci, oppoſuerat, copiis, Eduardum, novum ut conſcriberet equitatum, in Germaniam miſit. (*m*)

Anno

tis ſibi annuis reditibus; ſed occupatio Marchionatus, a Durlacenſi ſuſcepta, omnem hunc tractatum abrupit.

(*l*) Erneſto Archiduci, qui A. 1594. deceſſit, Fontanus (*Fuentes*) ſucceſſit. At A. 1596. Philippus II. Hiſpaniæ Rex conſilio politico filiæ ſuæ, Iſabellæ Claræ Eugeniæ Belgium Hiſpanicum tradidit, quæ nupſit Alberto Archiduci. Sub Regimine hoc feliciſſima fuerunt Belgii Hiſpanici tempora.

(*m*) HARAEI *Annal. Brabant.* Tom. II. p. 525.

Anno ſequenti Eduardus ad Polonos ingreſſus eſt iter. Sigismundus, Sveciæ Poloniæque Rex, expeditionem tum paraverat in Sveciam, Caroli Sudermanniæ Ducis, patrui ſui, ut conatus reprimeret; qui Rege abſente, ſummam in Sveciæ Regno ſibi poteſtatem vindicaverat. Eduardus Gedano ſolvens cum Rege, adpulit in Sveciam die 30. Julii. (*n*) Recepta inde in fidem Calmaria, Rex ſine Auguſti cum exercitu Stegeburgum, Oſtro-Gothiæ Caſtrum, navigavit. Intervenientibus exterorum Principum legatis Regem inter & Sudermanniæ Ducem de pace aliquamdiu tractatum eſt, ſed irrito labore. Carolus collectis undique copiis ad Stegeburgum Regi occurrit. Die 9. Septembris certatum eſt prœlio. Sigismundus cum Farenbachio, ſuorum Duce, Carolum a fronte aggreditur; a tergo eum invadit Johannes Vejerus Staroſta Prizkenſis. Res in eo jam erat, victoria ut potiretur Sigismundus; ſed interventu Eduardi noſtri & Johannis, (*o*) Orientalis Friſiæ Comitis, utrimque ab armis diſceſſum. (*p*) Sigismundus civium ut parceret ſanguini, liberum

EDUAR. FORTUN. In Svecia.

Tom. III. K

(*n*) Messenius *Chronologia Scondianæ* Tom. VIII. pag. 59. Olof Dalin *Geſchichte des Reichs Schweden* Tom. III. Cap. XVIII. §. 9.

(*o*) Johannes hic filius erat Edzardi II. Orientalis Friſiæ Comitis ex Catharina Guſtavi I. Regis filia, Cæciliæ & Caroli Sudermanniæ Ducis ſorore genitus.

(*p*) Messenius *loco alleg.* pag. 65. & Dalin *loco alleg.* §. 14. Loccenius tamen, quod mireris, *Hiſtoriæ Svecanæ*, Lib. VIII. pag. 439.

EDUAR. FORTUN.

Carolo ad caſtra ſua reditum conceſſit, atque in amicos tractatus, craſtino die inſtituendos, conſenſit. Per multos dein dies de pacis legibus diſceptatum eſt, donec poſt adventum Svecicæ claſſis Sudermanniæ Dux, viribus auctus, duriores Regi conditiones proponeret. Rex panico terrore percitus, omiſſo pacis negotio, fugit Lincopiam. Inſecutus eum Carolus capto direptoque Stegeburgi Caſtro, ad pontem Stangebroenſem, qui haud longe Lincopia diſtat, die 25. Sept. inſignem illam regiis intulit cladem, quæ cauſa fuit, ut Svecico dein ſolio Sigismundus excideret.

§. XII.

Eduardus pacis arbiter inter Sigism. & Carolum.

Poſt memorabilem hanc pugnam, cui Eduardus quoque noſter interfuerat, denuo actum de pace. Nominati utrimque ſunt ſex arbitratores, quos inter a parte Regis primum locum tenuit Eduardus. (q) Inſtitutis igitur in ponte Stangebroenſi colloquiis, poſt multas difficultates die 28. Sept. ſignata eſt pax, Sigismundo Regi parum glorioſa; qua ille quinque regni ſenatoribus ſuarum partium, qui contra leges feciſſe dicebantur, Caroli

Eduardum pugnæ initium feciſſe ſcribit his verbis: „ Ubi Marchio Badenſis Eduardus, Rege, ut quidam volunt, permittente, ut alii, „ reprehendente eum hujus rei cauſſa, vel quod veriſimilius, culpam „ in eum conferente, quod præceps animi eſſet, & inde furioſus appellaretur, & Polonicus miles Caroli exercitum pilis impetiverunt.

(q) DALIN *loco alleg.* §. 25.

Digitized by Google

EDUAR. FORTUN.

Ducis poteſtati permiſſis, confeſtim Holmiam ſe iturum pollicitus eſt, ut intra ſpatium quadrimeſtre ordinum celebraret Comitia. Interjectis dein aliquot diebus, Rex miſſo ad Carolum legato, res ſibi & Annæ ſorori ut & Eduardo Badenſi in prælio nuper ablatas, repetiit. (*r*)

Reſtituta jam videbatur apud Svecos concordia; finito bello civili. At Sigismundus, inſidias a patruo veritus, mutato Holmenſis itineris conſilio, contra omnium expectationem medio Octobri e Svecia in Poloniam abiit, ut anno vertente cum fortiore reverteretur exercitu. Eduardus Fortunatus, regiæ fugæ non conſcius, illo ipſo tempore apud Carolum avunculum, Sudermanniæ Ducem, morabatur; eoque verſus anni finem relicto, per Gothiam, Daniam & Germaniam in Poloniam feſtinavit. In regno hoc redux prohibitus eſt, Regem adire, cui ob diuturniorem cum Carolo Duce moram fides Eduardi videbatur ſuſpecta. (*s*) Eduardus tamen, ſi audiamus REIDANUM, (*t*) paulo poſt cum Sigismundo in gratiam rediit; qui eum A. 1599. ablegavit in Sveciam, ut ad Occidentale Sinus Codani litus Præ-

(*r*) Aulæa ex conclavi Marchionis Badenſis ablata repetiiſſe Regem ſcribit MESSENIUS *Chronologia Scondianæ* Tom. VIII. p. 74. add. DALIN §. 28.

(*s*) MESSENIUS pag. 76. & 78. DALIN §. 33.

(*t*) ANNAL. BELG. Lib. XVI. p. 491.

Digitized by Google

EDUAR. FORTUN.

fectos caſtrorum tentaret. In expeditione hac Marchio interceptus a Danis, qui Carolo Sudermanniæ Duci favebant, atque in vincula conjectus eſt, ſed mox dimiſſus, poſt multos exantlatos labores ad ſuos denique in Belgium rediit.

§. XIII.

Mors ejus violenta.

Obiit Eduardus A. 1600. die 8. Junii apud Weſtraſios Caſtellauni, quod Caſtellum Hunnorum vocant noviores. Caſtrum cum oppido in tractu, cujus nomen *Dorſum Hunnorum* (*Hundsrück*) milliari Germanico a Simmera in ſeptentrionem diſtans. Caſtrum hoc cum Præfectura Caſtellaunenſi, ut Comitatus Sponheimenſis partem Eduardus cum Carolo, Comite Palatino Birkenfeldenſi, in communione poſſederat. Carolus illo ipſo tempore adierat Eduardum, ut de communibus Sponheimenſis Comitatus negotiis cum eo tractaret. Extant literæ Caroli, ad Fridericum Electorem Palatinum, (*u*) Caſtellauno tum ſcriptæ, quibus narrat, Marchionem, ab ejus colloquio in conclave rediturum, offenſo pede, gradibus ſcalæ lapideæ prolapſum graviterque vulneratum, paucas poſt horas animam efflaſſe. Falluntur itaque Scriptores, qui eum Bruxellis extinctum fuiſſe tradiderunt. (*x*)

(*u*) Literæ hæ, d. 9. Junii datæ, occurrunt in Scripto Bada-Durlacenſium contra Wirtenbergicos ratione Præfecturarum Mundelsheim & Beſigheim pag. 69.

(*x*) IMHOFII *Notitia Procerum Imp.* Lib. IV. Cap. IV. num. B. SPENER in

Eduar. Fortun.

Eduardus in agone conſtitutus, teſtamento, nuper jam condito, Codicillum adjecit, quem Pistorius, fidus Eduardi comes, ſermone latino conſignavit; ubi de ſepultura hæc diſpoſuit: „ Volumus corpus noſtrum in Marchionatu noſtro, jure „ nobis debito, Badenis in Eccleſia Collegiata mandari terræ „ cum honeſto Epitaphio pro majorum noſtrorum more. „ Sed diſpoſitio hæc quoad ſepulturam caruit ſucceſſu. Erectum quidem Eduardo Badæ cenotaphium; ſed corpus ejus in Parthenone Portæ Angelorum (*Engelpfort*) Præmonſtratenſium Ordinis, in Diœceſi & ditione Trevirenſi, quod Caſtellauno quatuor leucis diſtat, (y) reconditum eſt. In Necrologio enim hujus cœno-

Sylloge pag. 627. Meteren *Hiſtorie des Niederländ. Kriegs* Lib. XXI. pag. 949. Zechius *im Europ. Herold* pag. 503. Anonymus Auctor Libri: *Staat der Marggraven von Baden* pag. 31. Solus fere Reidanus *Annal.* Lib. XI. pag. 298. Caſtellauni eum periiſſe ſcribit his verbis: „ Eduardus anno ſupremo ſeculi decimi ſexti, octava „ Junii die, temulentus, in arce Caſtellauna gradibus præceps devol„ vitur, ac cervicibus, ſpina dorſi, brachiorum altero, crure utroque „ fractis, vitam finivit. „ Quæ addit Reidanus, ſuperſtitionem valde redolent: „ Firmabant domeſticorum nonnulli, duabus ante ho„ ris querulam vocem e foſſa arcis ſemel iterumque auditam, væ mi„ ſeræ animæ meæ. „

(y) De Monaſterio hoc vide Caroli Hugonis *Annales Præmonſtrat.* Tom. I. pag. 173.

EDUAR. FORTUN.

bii legitur: „ Eduardus Fortunatus dedit pannum holoſericum „ pro ejus ſepultura. „

§. XIV.

Chara-ƈter.

Eduardus Princeps fuit non ſine dotibus ingenii, ſed animo varius, inconſtans, mutabilis in horas, ad voluptates nimis proclivis; non alieni appetens, ſed prodigus ſui; bonus cum bonis; neque tamen, ut in bivio Hercules, tam obſirmatus in bono, ut illectus ad malam non deflecteret viam. Lutherana ille patris & avi religione relicta profeſſus eſt Romanam. Relicto quoque ditionum ſuarum regimine, peregrinationibus continuis, ætatem contrivit. Imputantur Eduardo necromanticæ artes ſtudiumque magiæ; nec libero eum a culpa, ſed & aliæ ſuperiorum temporum aulæ eodem vitio laborarunt. Aſtrologi (z) more inveterato Principum, Regum & Cæſarum credulitate multis retro ſeculis apud Francos, Germanos, Italos abuſi ſunt.

§. XV.

Uxor.

Uxor ejus Maria ab Eicken filia fuit Jodoci ab Eicken, Domini de Riviere & Ganshornes, Gubernatoris Bredæ, Prin-

(z) Inter Officiales aulicos fuerat Aſtrologus; Aſtrologiam cum Aſtronomia quum confunderet ignorantia ævi. Carolus Magnus, Ludovicus Pius in aula ſua habuerant Aſtrologos, quorum unus, ſed Anonymus, vitam Ludovici deſcripſit.

Digitized by Google

Eduar. Fortun.

cipis Arauſionenſis Aulæ Mareſchalli; neptis Johannis ab Eicken, proneptis Henrici. (*a*) De illa in teſtamento A. 1600. Caſtellauni condito, ita conſtituit maritus: „ Futura vidua noſtra Maria „ Marchioniſſa, ſi nos vivendo ſuperabit, volumus ut Badenis „ in Arce, quousque filii noſtri adoleſcant, habitet & viduita- „ tis beneficio, pro ſingularibus literis, iſta de re confectis, „ fruatur; vel ſi nos citius moriamur, quam reſtitutio Mar- „ chionatus facta ſit, volumus, ut tamdiu ſit Caſteloni, quous- „ que commode Badenis eſſe poteſt: manentibus omnibus vi- „ duitatis juribus, ut in literis ſunt. „

Jam A. 1594. die 8. Sept. Eduardus ſcripto Trarbaci compoſito, partem ſuam in Caſtellaun Mariæ huic in vidualitium aſſignavit.

Hæc obiit A. 1636. d. 21. Apr. in cœnobio quoque Engelpfortiano ſepulta. (*b*)

§. XVI.

Ex ea Eduardus tres filios, Wilhelmum, Hermannum Fortunatum & Albertum ſuſcepit, quibus pater moriturus Albertum Archiducem, Belgii Principem, & Salentinum Comitem Iſenburgi teſtamento dedit tutores, quos decreto confirmavit Cæ- Liberi.

(*a*) Genealogiam hanc exhibet Koehlerus in *Münzbeluſtigung* Tom. XVI. pag. 119. Imhofius in *Notitia Procerum* Lib. IV. Cap. 8. §. 13. Mariæ patrem male vocat Jacobum.

(*b*) Hugonis *Annales Præmonſtratenſes* Tom. I. pag. 173.

Digitized by Google

EDUAR. FORTUN.

ſar. Anna Maria Lucretia, Eduardi filia, apud Italos A. 1592. die 7. Aprilis, quæ adſpexerat lucem, A. 1654. d. 12. Sept. Caſtellauni defuncta, in monaſterio Portæ Angelorum cum matre requieſcit. (*c*) WILHELMUS natu maximus fratrum poſt patris ex Italia reditum, A. 1593. natus, Bada-Badenſem lineam continuavit.

§. XVII.

Hermannus Fortun.

HERMANNUS FORTUNATUS natus Raſtadii 23. Jan. A. 1595. (*d*) ditiones Luxenburgicas & Rodemacheram fortunarum ſedem accepit. In bello tricennali Germanico, Hiſpanica primo, dein Imperialia ſecutus eſt ſigna. A. 1633. ſub Comite Montecuculio militans ad Rhenum, prœlio ad Briſacum, menſe Junio ejus anni commiſſo, interfuit, in quo Sveci victores Comitem Montecuculium ceperunt. Idem A. 1634. in prœlio ad Watwillam in Alſatia pugnavit. (*e*) Obiit A. 1664. Prima ejus uxor fuerat ANTONIA, Chriſtophori, Dynaſtæ Crichingenſis filia; vidua Hohenſaxii Dynaſtæ; quam A. 1627. d. 18 April. Badæ ſibi conjugem adjunxit. Ex ea duos filios unamque filiam ſuſcepit Hermannus.

CARO-

(*c*) HUGO in *Annal. alleg.* pag. 174.

(*d*) Wilhelmus Solmenſis Comes de fontibus baptiſmatis eum ſuſcepit.

(*e*) BOGISLAUS A CHEMNITZ *Belli Svevici* Tom. II. p. 160. & 349.

CAROLUS WILHELMUS EUGENIUS, A. 1627. natus, a Ferdinando IV. Romanorum Rege in numerum cubiculariorum adſcitus eſt; poſtea inter Canonicos Colonienſes cooptatus, A. 1666. vivere deſiit. LEOPOLDUS, qui eum exceperat, anno ætatis ſeptimo vita exceſſit. MARIA SIDONIA, A. 1535. nata, Philippo Friderico Chriſtophoro, Principi Hohenzollerano, Hechingenſi, A. 1664. nupta, A. 1686. d. 15. Aug. deceſſit. Ex altera conjuge MARIA SIDONIA, Philippi Franciſci Falkenſteinii Comitis filia, quæ priori matrimonio Adamo Philippo, Cronbergico Comiti nupſerat, PHILIPPUM BALTHASAREM & MARIAM ELEONORAM SOPHIAM genuit Hermannus. Ille A. 1662. Pariſiis extinctus eſt; hæc Johanni Franciſco Principi Naſſovio Siegenſi A. 1665. nupta, inter dolores partus vitam finivit A. 1669. Alii præter hos Hermanni liberi deceſſerunt infantes.

§. XVIII.

ALBERTUS CAROLUS poſtremus filiorum Eduardi die 17. Aug. natus Caſtellauni, Sigismundum Sveciæ & Poloniæ Regem, Albertum Archiducem Auſtriæ & Carolum Sudermanniæ Ducem habuit patrinos. Hic poſt reſtitutionem Marchionatus ſuperioris, Cœnobii Albæ Dominarum portionem Badenſem, conſenſu Pontificis, ad quinque annos adeptus eſt, ut

Albertus Carolus.

Digitized by Google

ex reditibus Monaſterii caperet alimenta. Albenſes ſubditi A. 1625. die 13. Maji juramentum ei fidelitatis præſtiterunt. Sed vix anno transacto deceſſit Albertus; ſeu fortuito ſclopeti ictu, (*f*) ſeu alio infelici caſu (*g*) extinctus.

(*f*) ANONYMI *Leben der Marggraven von Baaden* pag. 236.

(*g*) IMHOF. *Notitia Procerum* Lib. IV. Cap. 8. §. 14.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT VI.

W I L H E L M U S.

A. 1622 -- 1677.

§. I.

Wilhelmus primogenitus filiorum Eduardi Fortunati, Badæ A. 1593. die 30. Julii lucem aſpexit. Nomen ejus ex Bavarica domo illatum Badenſi. Wilhelmus V. Bavariæ Dux & Andreas, Cardinalis Auſtriacus, ejus patrini fuerunt.

Wilhelmus exul e terris.

In Aula Bruxellenſi una cum Hermanno & Alberto fratribus educatus eſt. Albertum Auſtriæ Archiducem, Belgii gubernatorem & Salentinum Yſenburgi Comitem habuit tutores. Hi, de paterna hereditate pupillis reſtituenda ſoliciti, Georgio Friderico Durlacenſi, qui Erneſto Friderico, fratri ſeniori, ſine liberis

Digitized by Google

defuncto, nuper ſucceſſerat, actionem ſpolii in Aulico Cæſaris conſilio A. 1606. die 26. Aprilis intendere cœperunt. Rei componendæ varii quidem cum Marchione Durlacenſi A. 1608. & ſequentibus inſtituti ſunt conventus; de quibus in Durlacenſium rebus dicemus uberius. At exoptatum conventus illi exitum cum non habuiſſent, Matthias Imp. A. 1615. Colonienſi Electori atque Landgravio Haſſo-Darmſtadienſi rei cognoſcendæ tranſigendæque detulit officium. Habita A. 1616. & ſequente hac ſuper re Francofurti colloquia, ſed irrito labore. Nec Aula Cæſarea deciſionem litis feſtinavit.

§. II.

Sententia Cæſaris jubetur reſtitui.

Medias denique inter belli tricennalis Germanici flammas, Georgii Friderici rebus prœlio ad Wimpfenam inclinatis, ab Ambroſio Spinola, exercitus Hiſpanici Duce, occupata fuit Marchionatus ſuperioris pars A. 1622. pauloque poſt die 26. Auguſti a Ferdinando II. Imperatore lata ſententia, qua Georgius Fridericus ad reſtituendum ſuperiorem Marchionatum omnem cum clenodiis, tabulis, mobilibus & refuſione ſumtuum ac damnorum, nec non fructuum perceptorum & percipiendorum damnatus eſt. (a) Cæſar in ſolio ſedens, præſentibus Judicii Aulici

(a) Caroli Carafae *Germania ſacra reſtaurata* pag. 127. ſq. Sententia legitur in *Grund- und Actenmæſſigen Information des Hochfürſtl. Haus Baaden-Baaden contra Würtenberg* inter documenta pag. 155.

conſiliariis & exterorum Principum legatis, ipſe pronunciavit ſententiam; poſtquam Vice-Cancellarius Imperii, præmiſſa oratione, ſingulare Cæſaris in adminiſtranda, pupillis præſertim, juſtitia ſtudium magnis laudibus extuliſſet. Concluſit denique litis hujus, ſub tribus Imperatoribus agitatæ, deciſionem, urgentibus ſpoliatis Principibus, quin & intercedentibus Regibus, Electoribus, aliisque Proceribus, diutius non potuiſſe differri. Sententiam Pucherus Secretarius Imperialis prælegit. *(b)*

Carolus Carafa Pontificis apud Cæſarem illo tempore legatus, vir doctus & gravis, negotium hoc non parum promovit. Wilhelmus, Vindobona diſcedens, de reſtituenda in ſuperiore Marchionatu Religione Romana Carafæ ſuam fidem adſtrinxit: *(c)* „ Quod ſic poſtea præſtitit, verba ſunt ejusdem „ Carafæ, imo res tam feliciter, auſpice deo, ſucceſſit, ut „ omnes ſubditi, ita ſacra Catholicorum ſuſceperint, ut nunquam abjuraſſe putarentur, & vere ſeſe antiquos Catholicos „ pietate & religione referrent. „ Studium in Relig. CatVol.

§. III.

Executionem ſententiæ Cæſar, litteris die 3. Septembris A. 1622. datis, fratri ſuo Leopoldo Archiduci, qui Epiſcopus Ar- Executio ſententiæ.

(b) Theatr. Evropaevm Tom. I. pag. 678.

(c) Carafa in *Comment. de Germania ſacra reſtaurata* pag. 128.

gentinenſis & Paſſavienſis tum fuerat, commiſit; (*d*) aliisque literis, eodem die ſcriptis, omnibus ſuperioris Marchiæ incolis, Wilhelmum ut agnoſcerent dominum, (*e*) injunxit. Leopoldus Ruffaci in Alſatia tum degens, die 10. Octobris, Carolo Ludovico Erneſto, Sultzio Comiti, Advocato provinciali Alſatiæ, Iſaaco Volmaro, terrarum Auſtriacarum in Svevia Cancellario & Reinhardo de Schauenburg, Advocato provinciali Ortenaviæ, rem perficiendam tradidit. (*f*)

Delegati hi cum Wilhelmo Marchione ſingulas Marchionatus peragrarunt ditiones & ubique populos in ejus fidem adegerunt. (*g*) Inter alia Spanheimenſis quoque citerioris Comitatus portio Badenſis, quam Fridericus IV. Palatinus Elector A. 1600. occupaverat, reſtituta Wilhelmo. Crucenacum oppidum cum omni præfectura, ſine A. 1622. præſentibus miſſis Cæſaris, jusjurandum fidei præſtitit Wilhelmo. (*h*)

§. IV.

Transactio Vindobonenſis.

Actum dein de æſtimatione fructuum perceptorum, ceterisque de rebus, quæ ex Cæſaris ſententia Wilhelmo debeban-

(*d*) Litteræ Cæſaris extant in Diatriba, cujus rubrum: *Grund- und Actenmæſſige Information Baaden-Baaden contra Würtenberg* inter documenta p.419.

(*e*) *Ibidem* pag. 422.

(*f*) Literas has vide in *Diatriba alleg.* pag. 418.

(*g*) Vide *ibidem* pag. 409. ſeq.

(*h*) Vide *loc. alleg.* pag. 411. & 417.

Digitized by Google

tur. Cæſar eum, ejusque agnatum, Fridericum V. Durlacenſem, vocavit Vindobonam, reliquæ lites amica ut ſopirentur conventione.

Vindobonæ A. 1627. comparuerunt Marchiones. A Cæſare arbitratores nominati ſunt Wolfgangus Wilhelmus, Comes Palatinus Neoburgicus, Wratislaus ſenior, Fürſtenbergæ Comes, Judicii Aulici præſes; Otto de Noſtitz, Liber Baro de Falckenau, Wolffius Wilhelmus Liber Baro de Lamingern; denique Otto Melander & Conradus Hildebrand, Legum doctores, Aſſeſſores Judicii Aulici, qui die 27 Maji A. 1627. conventionem inter Marchiones his legibus conciliarunt.

1. Fructuum, ex ſuperiori Marchia Badenſi perceptorum, & damni nomine trecenta & octoginta millia florenorum aſſignata ſunt Wilhelmo, quæ Fridericus Durlacenſis ei perſolvat.

2. Ad ſecuritatem debiti ex inferiore Marchia terras quasdam, una cum regalibus ei tradat Fridericus, cui eas deſignandi poteſtas relinquitur.

3. Deſignatio hæc antequam fiat, Comitia provincialia convocandi jus competat Durlacenſi, qui tributum, in illis decernendum, æquis portionibus dividat. Wilhelmus in Durlacenſibus præfecturis, ipſi aſſignandis, ſubſidia pecuniaria pro rata exigendi jus habeat.

4. Præfecturis aſſignatis ex æquo & bono utatur, fruatur Wilhelmus, nec absque Durlacenſis conſenſu in rem faciat impenſas.

5. In iisdem jus paſcendi Durlacenſis ſibi reſervat.

6. Angariarum præſtatio ulteriori conventioni reſervata.

7. Deſignatio præfecturarum, quæ Wilhelmo tradendæ, in D. Bartholomæi feſtum rejecta. Durlacenſis omnium redituum juriumque illarum præfecturarum laterculum exhibeat Wilhelmo, ut dilucide appareat, eas ſortem 380000. florenorum æquare. Reditus per quincunces computentur in centum; at jurium regalium ex more regionis æſtimatio ſiat.

8. Immiſſio in præfecturas primo D. Michaëlis feſto peragatur. Reditus usque ad D. Martini diem conceduntur Friderico, ſequentes Wilhelmo.

9. Quod ſi ante immiſſionem in bona partem debiti ſolverit Fridericus, in aſſignatione terrarum fiat pro rata deductio.

10. Liberum de cetero reluendi jus competat Friderico, ſed nonniſi totam præfecturam aut omnes ſimul reluere liceat.

11. Aes alienum, quo Erneſtus Fridericus & Georgius Fridericus, fratres, ſuperiorem gravaverunt Marchiam, Fridericus diſſolvat. Vetera tamen Marchionatus ſuperioris debita, ab illis ſoluta, cum novis compenſare liceat.

12. Acta omnia & documenta, quæ ſuperiorem Marchiam & præfecturas, Wilhelmo tradendas, reſpiciunt, eidem exhi-

beantur. Documenta communia, prout ante occupationem, vel in ſuperiore vel in inferiore Marchia fuerunt, reſtituantur Wilhelmo, aut penes Fridericum maneant. Documentorum, Wilhelmo Marchioni traditorum, duplex conficiatur laterculum, utriusque Marchionis ſigillo munitum, cujus exemplum utrique exhibeatur.

13. Actioni omni ratione ſuperioris Marchiæ Fridericus renunciet.

14. Hic jura ſua in Malſch & Ottersweyer, Wilhelmus autem ſua in Langenſteinbach, coram Cæſare & judicio Aulico proſequenda, ſibi reſervant.

15. Modii 1500. (*) frumenti, ut & quantitas illa vini, quæ Eduardo Marchioni, ſupplementi loco, ex inferiore Marchionatu præſtita quotannis, & per eundem Eduardum pro 40000. florenis oppignerata, vel, ut contenderat Fridericus, omnino vendita, ſi coram Cæſare & judicio Aulico probaverit Fridericus, non præſtentur inpoſterum. Reluendi jus autem integrum ſit Wilhelmo, ſi non probetur venditio.

16. Uterque Marchio iisdem gentilitiis utatur inſignibus. Fridericus, quoad vixerit, præcedat Wilhelmum. Eo defuncto

(*) Pag. 10. lin. 5. pro MD mille lege M D.

Digitized by Google

WILH.

ſecundum pacta familiæ & obſervantiam antiquam, ex Principibus regnantibus præcedat ſenior.

Conventionem hanc Cæſar die 9. Junii confirmavit Diplomate, (*i*) ſed executio ejus multis difficultatibus obnoxia fuit.

§. V.

Transactio Etlingenſis.

Leopoldo Archiduci curam negotii ſine anni 1628. denuo Cæſar commiſit. Hic Carolo Ludovico Erneſto, Comiti in Sultz, Judicii Cæſarei Rotvillenſis Præſidi hæreditario, ut & Iſaaco Volmaro, Cancellario, ac Johanni Reinhardo de Schauenburg ſuas partes demandavit. Inſtitutus ab illis V. Julii A. 1629. Etlingæ conventus, ad quem Marchio uterque ſuos miſit legatos. Res ultimo ejusdem menſis hunc in modum transacta: Præfecturæ Stein & Remchingen inferioris Marchiæ in ſecuritatem debiti trecentorum octoginta millium florenorum tradantur Wilhelmo, territorii juribus Friderico Durlacenſi ſervatis; qui homagium a ſubditis exigat, eosdem defendat, ad conventus provinciales convocet; ordinationes, conſtitutiones, jura provincialia, edicta, mandata publicet, damnatos reſtituat in integrum, de cauſis matrimonialibus cognoſcat; jus metallifodinarum, ſequelæ & armorum; foreſtarum item & venationis jura, cum angariis eo perti-

(*i*) Utrumque Inſtrum. exhibet LUNIG *Reichs-Archiv* Parte ſpeciali Continuat. II. *IV. Abtheilung IXter Abſatz* p. 952. ſqq. & LONDORP *Acta Publica* Tom. III. Lib. VIII. Cap. 119.

nentibus, libere exerceat; ſed absque agnati præjudicio. Secus ſi fecerit, ſuis juribus excidat, eaque ad reliquum pignoris tempus in Wilhelmum Marchionem devolvantur. Hic viciſſim omnes harum præfecturarum percipiat reditus, jurisdictionem criminalem atque civilem exerceat; ſubditos ut imperata faciant ſacramento adigat; præfectos conſtituat, a quorum ſententiis ad Wilhelmum ejusque judicium Aulicum Badenſe provocatio fiat; lites de juribus territorii motæ utrimque componantur per arbitros, vel ſi ea ratione non poſſint componi, ad judicium Aulicum Cæſaris, Cameramve Imperii deferantur: Præfecturarum reditus, quum non exæquent quincunces uſuras, reſidua ſumma, Wilhelmo debita, ex Mulbergenſi Præfectura quotannis Etlingæ ipſo S. Georgii die ei pendatur: præfectus Mulbergenſis de ſumma hac, conſtituto loco & tempore ſolvenda, fidem jurejurando interponat; æs alienum ab Erneſto & Georgio Friderico Marchionibus ſuperiori impoſitum Marchiæ, ut & cenſus ac penſiones, detentionis tempore non ſolutas, in ſe recipiat Fridericus. Denique Vindobonenſis transactio, & ea præſertim, quæ de Malſcha, Otterſvira & Steinbaco ei fuerunt inſerta, confirmantur. (*k*) Sed utraque hæc conventio deinceps, uti videbimus, mutata fuit Weſtphalica pace.

(*k*) Inſtrumentum transactionis Etlingenſis in Codice noſtro Diplom. exhibemus.

§. VI.

Malbergæ & Lahræ diviſio.

In eadem hæc tempora incidit Dynaſtiarum Lahræ & Malbergæ Badenſes inter atque Naſſovios pridem agitata diviſio, qua Naſſoviis Lahra relicta, Malbergæ Dynaſtia omnis ad Bada - Badenſes ſolos pervenit. Operæ pretium eſt, ut à ſeculi XIII. temporibus rem altius repetamus.

Malberga a Ducibus Sveviæ Sec. XIII. ad Imp. redit.

MALBERG, Latine *Malli mons*, a Mallis ſive Judiciis Pagenſibus, ibi olim, ut videtur, habitis, ſuum nomen accepit. Caſtrum cum oppido & Dynaſtia Ortenaviæ in veteri Ducatu Sveviæ ſitum allodium. Fridericus II. Cæſar & Sveviæ Dux, in Concilio Lugdunenſi A. 1245. cum fuiſſet proſcriptus, Henricus III. ex Staleckiis Argentinenſis Epiſcopus, qui & ipſe præfecturas aliquot in Ortenavia tenebat, inſtinctu Pontificis Malbergam obſedit ac in poteſtatem ſuam redegit (*l*) cum Ortenberga & Gengenbaco; quæ Ortenaviæ loca Bambergenſis Eccleſiæ feuda fuiſſe, in Literis, ad Argentinenſem Epiſcopum A. 1248. datis, Pontifex declarat. (*m*) Feudalis Malbergæ & aliorum Ortenaviæ locorum nexus, ab Eccleſia Bambergenſi pendens, originem ſuam trahit ab Henrico II. Imp. qui Gengenbacenſe & Schutte-

(*l*) ANONYMUS illius ævi apud GUILLIMANNUM *de Epiſcopis Argent.* p. 288. ſeqq.

(*m*) Epiſtola hæc inedita extat in Regiſtro Litterarum Innocentii IV. anno V. num. 868. in Tabulario Palatii Vaticani. Eam Codex Diplomat. dabit.

Digitized by Google

renſe ejusdem Ortenaviæ Monaſteria, feudali ejusdem Eccleſiæ vinculo ſubjecit, ſplendidiorem ejus dignitatem ut redderet, quod utriusque Abbatiæ vinculum durat hodieque. (*n*)

Innocentius literis memoratis Henrico Antiſtiti id juris conceſſit, ut nonniſi redditis ſumtibus, quos in eorum expugnationem impendit, ad loca illa reddenda cogeretur. Extinctis in Friderici II. Imperatoris nepote Conradino A. 1268. Ducibus Sveviæ, quin & ipſo Svevico Ducatu, Malberga cum reliquis Caſtris haud dubie, Rudolpho I. Germaniæ Rege conſtituto, ab Epiſcopatu Argent. ad Imperium rediit. Filius enim ejus Albertus, initio regiminis ſui A. 1298. idem Caſtrum Malberg, Egoni, Comiti Friburgenſi, pro mille marcis argenti oppigneravit. (*o*) Hæc ex documentis idoneis, quorum præcipuum Palatii Vaticani Tabulario & docti ejus Præfecti, Illuſtriſſimi Garampii, amicitiæ debemus.

§. VII.

Sed & memorabilem ejusdem ſeculi XIII. Chartam Argentinenſis Civitatis Chartophylacium nobis ſuggeſſit; ex quo docemur, Geroldseckios Dynaſtas Malbergæ & Lahræ Dynaſtiarum tum temporis jam fuiſſe participes, adeoque Malbergam, de qua agimus, ab uno non fuiſſe poſſeſſam. Ad Geroldseckios tranſit.

M 3

(*n*) Tom. I. pag. 104. in nota.
(*o*) Codex Diplom. Bad. Tom. I. pag. 311. num. 194.

Geroldseckia Gens, in Ortenaviæ & Alſatiæ (*p*) partibus conſpicua & potens, illa ipſa ætate duos Argentorato Epiſcopos dedit, Waltherum atque Henricum, (*q*) quorum ille libertatem Civitatis evertere, hic ſtabilire conatus eſt.

Waltherus ex Geroldseckiis Ortenaviæ, Dynaſtiæ Lahrenſis poſſeſſor, matrimonio cum filia ultimi Malbergenſis Dynaſtæ, circa ſeculi XIII. medium, partem acquiſivit Malbergæ; (*r*) quam in diviſione bonorum ejus A. 1277. Henricus & Waltherus filii, una cum Lahrenſi dominio acceperunt. (*s*) Parti huic deinceps & illa Imperii portio, Egenoni, Friburgenſi Comiti, ab Alberto Cæſare oppignerata, beneficio Imperatorum acceſſit, ea lege, ut clientelari ab Imperio nexu Geroldseckii Lahrenſes tenerent Malbergam. Utraque ſane Dynaſtia & Malbergæ & Lahræ, una cum feudalibus Imperii bonis, per matrimonium Adelheidis, (*t*) Hen-

(*p*) Caſtri Geroldseck ad Voſagum rudera hodieque ſuperſunt, haud procul a Tabernia Alſaticis.

(*q*) WALTHERUS A. 1263. obiit dolore, quod ab Arginentinenſibus victus. HENRICUS A. 1273. deceſſit.

Ille ex Geroldseckiis Trans-Rhenanis Ortenaviæ, hic ex Alſaticis ad Voſagum originem traxit. ALSAT. ILLVSTR. T. II. p. 621.

(*r*) BERNH. HERTZOG in *Chron. Alſatiæ* Lib. V. pag. 113. & SPENER *Hiſtor. Inſignium* Lib. II. Cap. 4. §. 11. & Lib. III. Cap. 26. §. 9.

(*s*) Chartam hanc Codex Diplomaticus dabit.

(*t*) Adelheidis A. 1419. nupſit Johanni. In pactis dotalibus conventum, ut

Digitized by Google

rici Geroldseckii filiæ, A. 1426. ad Johannem, Mœrſæ atque Sarwerdæ Comitem, conſenſu Sigismundi Imperatoris, tranſivit. Fridericus Comes Mœrſæ atque Sarwerdæ Johannem fratrem, ex ſpeciali Cæſaris mandato, de horum dominiorum feudis, ab Imperatore & Imperio pendentibus, (*u*) inveſtivit. Geroldseckii agnati, ſolennibus literis juri ſuo in utramque Dynaſtiam renunciarunt.

§. VIII.

Dimidia Lahræ & Malbergæ ad Badenſes devolvitur.

Succeſſu dein temporis factum eſt, ut dominiorum illorum pars ad Badenſes devolveretur. A. 1442. Jacobus Marchio dimidiam utriusque Dynaſtiæ partem, cum Sarwerdenſibus indiviſim poſſidendam, a Jacobo & Johanne Comitibus, ſub reluendi tamen lege coëmit. (*x*) Dimidiam hanc dein a Carolo, Jacobi filio,

---

poſt Henrici mortem omnia allodia ejus & feuda in Adelheidem filiam tranſirent.

(*u*) Tabulæ, quibus Imp. Friderico Comiti Mœrſæ & Sarwerdæ inveſtiendi fratris munus defert, A. 1426. d. Mercurii poſt Dominicam Oculi Vindobonæ ſignatæ ſunt. Exprimuntur in illis feuda Imperii ſequentia: *Molburg, die Burg und Stätt mit Mannen und Wildpennen, Kippenheim, das Dorff mit ſiner Zugehörung, das Rit mit aller Zugehörung, die Dörſſer Wyttenweyler, Almersvveyler, Nunnenvveyler, Jchenheim, Kertzel, Tundenheim und Altheim mit allen Iren Nutzen und Zugehörungen &c.* Feuda hæc Imperii Sigismundus Johanni ejusque heredibus maſculis confirmat.

(*x*) Inſtrum. extat in Tabular. Argent.

recepit Jacobus Comes Sarwerdæ; ſed eam A. 1463. eidem Carolo & Civitati Argent. ſimul, iisdem, quibus ante, conditionibus vendidit. Marchioni tamen quartam Argentinenſium partem reluendi jus ſpeciatim conceſſit. (y) Chriſtophorum Badenſem, Caroli filium & ſucceſſorem, jure hoc intra ſpatium ſeptendecim annorum uſum eſſe, (z) vel inde colligitur, quod inter eum & Jacobum Comitem ſolos nova dimidiæ partis facta venditio A. 1480. Venditioni conditionem reluendi denuo Sarwerdenſis adjecit. (a) Creſcente autem Palatinis turbis Sarwerdenſium ære alieno, Nicolaus Comes, ſuo & tutorio fratrum Johannis & Jacobi nomine, duarum quartarum, quæ ei remanſerant, alteram A. 1485. Civitati Argentinenſi indiviſim at hereditarie vendidit.

Anno ſequente idem Nicolaus 12000. florenos ab Argentinenſibus mutuo accipiens, tres reliquas dominiorum partes in ſecuritatem uſurarum illis oppigneravit. Addita conditio, ſi Marchio, virtute literarum, quæ ei datæ ſunt, quartam Argentinenſium partem relueret, ſumma illa 12000. florenorum Argentinenſibus reſtitueretur. (b) Uſus eſt hoc jure reluendi Chriſtophorus

(y) Singula hæc Chartæ Tabularii Argentinenſis nos docent.

(z) Adhuc A. 1477. Argentinenſes una cum Chriſtophoro Marchione & Jacobo Sarwerdenſi Comite Pacem Caſtrenſem intuitu Lahræ & Malbergæ jurarunt.

(a) Chartam hanc Codex Dipl. dabit.

(b) Chartæ extant in Tabulario publico Argentinenſi.

Digitized by Google

ſtophorus Badenſis atque receptam ab Argentoratenſibus quartam Johanni & Jacobo Sarwerdenſibus reddita. Hi viciſſim, Marchioni dimidiam, quam hucusque titulo tantum pignoris habuerat, repetita venditione, A.1497. hereditario jure reliquerunt, ea lege, ut pro dimidia quisque parte dominiorum ſuſciperet feuda, alteroque petente, alter intra trimeſtre ſpatium diviſioni locum concederet. Venditionem hanc, uti præcedentes omnes, conſenſu ſuo Cæſar firmavit, atque inveſtituram feudorum regaliumque Imperii, quoad partem dimidiam, Marchioni conceſſit. Literæ Maximiliani Romanorum Regis Friburgi Brisgoviæ A. 1498. die 17. Aug. conſcriptæ ſunt. (c)

§. IX.

Ab hoc tempore Comites Sarwerdæ eorumque ſucceſſores Naſſovii Saræpontani (d) utramque Lahræ & Malbergæ Dy- Malberga ad Badenſes tranſit.

(c) In illis feuda Imperii exprimuntur ſequentia: *Burg und Statt Malberg mit Iren zugehörigen Mannen und Wildpennen, Item dem Ried mit Iren zugehörigen Dörferen, Flecken, Leuten und Gütern, Item dem Dorf Kippenheim, Item den Dörfern Tchenkeim, Kürtzel, Tundenheim und Altheim mit allen und Ir Tedes Rechten und Zugehörungen.*

(d) Johannes Ludovicus Comes Naſſoviæ, ducta Catharina, Johannis Sarwerdenſium Comitum poſtremi filia atque herede, dimidiam Lahræ atque Malbergæ partem ſeculo XVI. accepit. Gangolfus tum & Waltherus Geroldseckii de feudis Malbergicis id eſt de caſtro Malberg,

naſtiam cum Badenſibus indiviſim poſſederunt. At A. 1629. ur-

Kippenheim, Almersweyler, Kertzel, Nonnenweyler, Wittenweyler, Ichenheim, Dundenheim & Altheim in Camera Imperiali litem intentarunt Naſſovio; feuda illa maſculina Imperii, a majoribus ſuis poſſeſſa, deficiente Sarwerdenſium prole maſcula ſui eſſe juris cauſſati. Sed productæ a Naſſoviis renunciationum tabulæ, jurejurando firmatæ, quibus Geroldseckii agnati & ipſe avus actorum Theobaldus, ſuis in feuda hæc juribus, in favorem Adelheidis & Sarwerdenſium, poſt Henrici Geroldseckii mortem ſemel iterumque ſe abdicaverant. Allegatæ quoque Sigismundi & Maximiliani Cæſarum literæ, quibus Adelheidis Geroldseckia & Catharina Sarwerdenſis ſucceſſionis redditæ capaces eorumque mariti inveſtitura conceſſa eſt. Intelligendis his rebus ſequens tabula inſervit,

Henricus de Geroldsek, Dominus in Lare, † 1426.

Adelheidis, uxor Johannis Comitis Sarwerdenſis A. 1419.		Urſula
Jacobus.		Johannes.
Nicolaus.	Johannes.	Jacobus.

Hi Chriſtophoro Marchioni dimidiam Lahræ & Malbergæ vendunt A. 1497.

Catharina
ux. Johannis Ludovici Comitis Naſſovii Saræpont. heres Comitatus Sarwerd. † 1547.

WILH.

gente Wilhelmo Marchione, Adolphus Comes Salmenſis, Epiſcopatus Argentinenſis Decanus & Adminiſtrator, ex mandato Ferdinandi II. Imp. transactionem inſtituit, qua utraque Dynaſtia, hucusque communis, ſorte diviſa eſt. Lahra Saræpontanis, (e) Malberga Badenſibus obtigit. (f). Titulus atque inſignia utriusque Dynaſtiæ penes utramque Domum manſerunt. Lahra tamen ob centies mille florenorum ſummam, Naſſoviis mutuo datam, ad Bada-Durlacenſes pervenit, ut pignus; donec Naſſovio-Uſingana Domus A. 1725. reddita ſorte eam recepit.

§. X.

Nov. Colleg. & Monaſt. inſtituit.

Wilhelmus, terris ſuis reſtitutus, plures circa id tempus ex ſodalitate Jeſu Spira ad ſe vocavit, quorum ope in iisdem Romana reduceret ſacra. Illis denique A. 1632. in oppido Bada exſtruxit Collegium, (g) quod eruditis viris ornare ſategit. Inter eos fuit Joan-

(e) Ad Saræpontanos pervenit caſtrum & oppidum *Lahr*, *Burgheim*, *Dinlingen*, *Mietersheim*, *Altenheim & Hugsvveiler.*

(f) Badenſis pars hæc complectitur loca: Caſtrum & oppidum *Malberg*, *Kippenheim & Weiler*, *Wagenſtatt*, *Sultz & Langenhardt*, *Kürtzel & Schuttenzell*, *Ichenheim & Dundenheim*, *Ottenheim & Frieſenheim*, *Obervveyer*, *Heiligenzell & Oberſchopfheim.*

(g) PETRI *Suevia ſacra* pag. 123. ſq. ubi tamen occaſione hac varios committit errores. Add. CAROLVS CARAFA *Germaniæ ſacræ reſtauratæ* p. 128.

nes Gamanſius, qui, poſtquam XXIII. Annos in Collegio vixiſſet, Genealogicam illam Diatribam de Originibus Domus Badenſis conſcripſit, de qua ſupra (*h*) diſſerui; cujus exemplum filius Wilhelmi Hermannus, Conſilii bellici Cæſarei Præſes, Bibliothecæ Cæſareæ intulit.

Idem Wilhelmus A. 1663. die 31. Jan. inſtituit Etlingæ Jeſuitarum Collegium; (*i*) in oppido hoc frequenter commoratus. Sodales hi multas in vicinia Parochias, & præſertim Bickesheimenſis Delubri, D. Mariæ Virgini dedicati, ſacra procurant.

Conditis his Collegiis Rectoratum Ottersviræ, ubi Wilhelmus noſter erexerat hoſpitium, nepos ſucceſſor, in complementum quaſi Collegii Badenſis, A. 1679. adjunxit Ludovicus Wilhelmus. (*k*) Præter hæc Capucinorum Monaſteria duo, alterum Badæ A. 1630. alterum Malbergæ A. 1671. conſtruxit Wilhelmus. (*l*)

A. 1674. S. Sepulcri quæ vocantur Moniales, educandis puellis evocatæ ſunt Leodio Badam. Monaſterium earum, quod ab initio haud longe a Palatio conſtructum, Bada A. 1689. incendio deleta, in inferiore reconſtructum eſt loco. (*m*)

(*h*) Tom. I. in præfat.

(*i*) PETRI *Suev. Eccleſ.* pag. 324.

(*k*) Ibidem pag. 658.

(*l*) Ibidem pag. 124. & 560. de priori Monaſterio annotat, a Wilhelmo illud exſtructum, in memoriam reportatæ apud Wimpinam contra Georgium Fridericum victoriæ.

(*m*) Ibidem pag. 126.

§. XI.

Ceterum ad Aulæ Vindobonenſis voluntatem Wilhelmus ſua conſilia dirigens, ſagatis togatisque dignitatibus ab ea admotus eſt. Legionis Cæſareæ Chiliarcha A. 1630. Summus vigilum præfectus A. 1632. conſtitutus eſt. Paulo poſt ad ſecretiora Cæſaris admiſſus conſilia: A. 1635. ad tormentorum bellicorum præfecturam promotus, ad intima denique rerum Imperii & belli conſilia A. 1639. admiſſus eſt. Dignitates a Cæſare illi collatæ.

Anno præcedente Philippus IV. Hiſpaniæ Rex Aurei Velleris eum renunciaverat Equitem; Maximilianus Bavarus Elector, mandato ab Hiſpaniæ Rege accepto, torquem, ordinis inſigne, illi appendit. Aureum Vellus.

§. XII.

Jam A. 1632. menſe Auguſto Spirenſem civitatem, ab Hiſpanis derelictam, novo milite armaverat Wilhelmus. Urbs paulo ante a Comite Emdenſi & Philippo de Sylva, Ducibus occupata Hiſpanis, miſere habita fuit. Geſta bello tricennali.

Wilhelmus ob multiplicem operam, Spirenſibus navatam, & pro conſcribendis militibus, duodecies mille thaleros a Spirenſibus poſtulavit; miſſo ad Senatum Eltzio, qui Miſſi bellici vices apud eum agebat. Recuſante ſolutionem ſenatu, Syndicum civi-

Digitized by Google

tatis Tiſſonem, cum quatuor ſenatoribus & duobus civibus Offenburgum, dein Briſacum in captivitatem abduxit. Senatus 6000. thaleros, Marchioni pendendos, decrevit; quorum dimidia fere ſoluta eſt pars. Paulo poſt Eltzius, cum civitate excederet, plurima tormenta & omnis generis ſclopeta cum inſigni apparatu bellico Stolhovam abduxit. Omnia hæc ut reſtituerentur, utque obligatoria ſcheda, quam vi metuque extortam dicebant, aboleretur, in Osnabrugenſi pacis conventu A. 1646. omni ſtudio laboraverunt Spirenſes. (*n*)

§. XIII.

Obſidio Benfeldæ.

Guſtavus Adolphus, Sveciæ Rex, ad Lipſiam victor, Danubium & Rhenum verſus ſe extendere ſategit. Cæſar militaris rei in ſuperioris Rheni Circulo curam Wilhelmo noſtro primaria cum poteſtate commiſit. (*o*)

Hornius in Alſatiam cum exercitu miſſus, Benfeldam omnibus viribus oppugnavit. Urbs inferiore in Alſatia ſita, Epiſcopatus Argentinenſis patrimonium vetus, omnibus rebus ad defenſionem inſtructa, defenſorem habuit Bulachium, virum manu & animo validum.

(*n*) GAERTNERS *Weſtphæliſche Friedens-Cantzley* Tom. IX. p. 464.

(*o*) CHEMNITZ *Hiſtor. Belli Sveco-Germ.* Tom. I. Lib. IV, Cap. 26.

Wilh.

Hornius magno ardore obſidionem proſecutus eſt, exquiſitiſſima bellicæ artis ſubſidia, vineas, foſſas, cuniculos adhibens, Ellum flumen ab urbe avertens. Wilhelmus cum Oſſa & Comite Salmenſi Benfeldæ liberationem tentavit. Decem millium manus e vicinis præſidiis & ex turba provinciali collecta. Badenſis obſidentium propugnacula ter perrumpere conatus, ter re infecta repulſus eſt. Tertia pugna die X. Oct. A.1632. pugnata. Præſidiarii denique, ſpe opis amiſſa, poſt ſex ſeptimanarum obſidium, honeſtas conditiones ſtipulati, digreſſi ſunt oppido. (*p*)

Selestadii.

Inſecuta eſt Seleſtadii obſidio, cujus urbis liberatio quoque Cæſareis curæ. Wilhelmus cum duodecim equitum alis, quæ die 16. Nov. Briſaci Rhenum tranſierunt, & cum peditibus, ex Burgundiæ Comitatu delectis, in auxilium venerunt. Hornius in occurſum miſit Rheingravium, qui incautos in hoſpitiis aggreſſus, cecidit trecentos, ducentos cum præfectis & vexillis cepit; vix evadente Wilhelmo. Seleſtadium die 2. Decembris in Suecorum manus pervenit. (*q*) Harum urbium exemplum mox ſecuta Colmaria, Hornii quoque poteſtati ſe tradens. (*r*)

(*p*) PUFENDORF. *Rer. Svecic.* Lib. IV. §. 58. CHEMNITZ Tom. I. Lib. IV. Cap. 53.

(*q*) PUFENDORF. *loc. alleg.*

(*r*) ALSAT. ILLUSTR. Tom. II. pag. 377. 385.

§. XIV.

Pellitur ditionibus.

Prævalentibus ita ad Rhenum rebus Svecorum, Wilhelmus, ſua Marchia ejectus, Oenipontem ſeceſſit, unde Marchia ſuperior per aliquod tempus inferiori acceſſit. (*s*)

A. 1633. Januario menſe, Briſacenſes præſidiarii, urbe valida manu egreſſi, tentarunt occupare Kentzingam, duce Wilhelmo; ſed in itinere interclusi a Svecis, pars cæſi, pars capti ſunt, pauci fuga elapſi. Wilhelmus a Svecico gregario milite comprehenſus, vix liberatus ſibi fuga conſuluit. (*t*)

A. 1634. Cæſarei, junctis cum Lotharingo & cum Marchione noſtro armis, Ottonem Rhingravium ad Gebvillam, ſuperioris Alſatiæ oppidum, caſtra habentem, aggredi ſtatuerunt. Prope Watvillam die 2. Martii res ad prœlium devenit; in quo Cæſareanis iterum, ut apud Benfeldam & Seleſtadium, fuſis, vix evaſit Wilhelmus, (*u*) qui dein cum fratre Hermanno, & Cæſareanis, ex fuga collectis, Briſacum intrare decreverat; ſed a Rhingravio interclusus, plerisque ſuorum dilapſis, cum reliquo comi-

(*s*) KHEVENHVLLER *Annal. Ferdinand.* Tom. XII. pag. 228.

(*t*) CHEMNITZ. Tom. II. Lib. I. pag. 55. KHEVENHVLLER *loco alleg.* pag. 652.

(*u*) CHEMNITZ *loc. alleg.* pag. 349. ſeq. PVFENDORF. *Rer. Suec.* Lib. VI. §. 26.

Digitized by Google

comitatu ſuo in Luxenburgenſem ſe recepit Ducatum, ſua Marchia extorris. (x)

§. XV.

Incertus & lubricus hic Wilhelmi ſtatus ad annum usque 1634. duravit, quo Cæſareani ad Nordlingam victores, Pace Pragenſi cum Georgio Electore Saxoniæ A. 1635. inita, Svecos ex omni Germania expulſuri videbantur, niſi Galli interveniſſent, Svecis & Proteſtantibus Germaniæ laturi auxilium. Tum vero utraque Marchia Badenſis magnam rerum converſionem experta eſt. Wilhelmus, ſuperiore ſua Marchia privatus, non modo rediit in eam, ſed & inferiorem, quam Fridericus V. Durlacenſis tenebat, Cæſaris voluntate & beneficio accepit, (y) adeoque ſolus ambas conjunxit; immutata jam rerum forte Friderico extorri. Reſtituitur.

§. XVI.

In periculoſo hoc Proteſtantium ſtatu dubiæ quoque fuerant Argentinenſium res ſpem inter & metum poſitæ. Aperta Argentinenſes Cæſari conciliare ſtudet.

(x) Chemnitz *loc. alleg.* pag. 351. Khevenhvller *Annal. Ferdinandei* Tom. XII. pag. 1304.

(y) Trachtervs Bada-Badenſis legatus in ſcripto, quod ordinibus, pacis cauſa Osnabrugæ coactis A. 1646. exhibuit, Wilhelmum Cæſaria ſententia in Marchionatum inferiorem introductum fuiſſe aſſerit. Extat hoc ſcriptum in *Diatriba Bada-Badenſium contra Durlacenſes* A. 1739. impreſſa, inter Documenta pag. 114.

WILH.

eorum in Svecos ſtudia Cæſari pridem diſplicuerunt. Wilhelmus, urbis amicus, cum Cæſare eam reconciliare A. 1635. quovis modo ſtuduerat. (z) Urbs obtulit conditiones, quibus Cæſar cum ſubſcribere vellet, excepto de Eccleſiis non reſtituendis articulo, protractum eſt negotium; Mockelio Gallorum interveniente legato, qui Regis ſui contra Cæſareanos promiſit auxilium; atque adeo adhibita Wilhelmi Marchionis opera caruit ſucceſſu. (a)

Idem A. 1637. apud Maximilianum, Electorem Bavariæ, Cæſarei exercitus Ducem, pro monaſteriis Herrenalb, Frauenalb, & Reichenbach intercedens, ab oneribus militaribus immunitatem obtinuit, quoad partem Badenſem. (b)

§. XVII.

Acta in Comitiis A. 1640.

In Comitiis A. 1640. de Pace inter Ordines Germaniæ reſtituenda, Ratisbonæ magno cum apparatu celebratis, Cæſarei legati vices Wilhelmus noſter peregit; auſpicatus Comitia gravi oratione, qua ad concordiam reducendam auditores ſtrenue hortatus eſt. (c) Nata hinc præcipuis quibusdam, poſt Electorales, Principum Germaniæ Domibus occaſio, ut de alternando, ſedendi

(z) CHEMNITZ Lib. IV. pag. 1021.

(a) PUFENDORF. *de reb. Svec.* Lib. VII. §. 88.

(b) Scriptum Bada-Badenſium contra Frauenalb. Documentor. pag. 340.

(c) Mercurius hiſtoricus belli tricennalis Germ. ſcriptus pag. 90. LONDORP. *Acta publ.* Tom. IV. Lib. IV. Cap. 44.

& ſuffragandi in Comitiis ordine pragmaticam inter ſe conderent ſanctionem. In veteribus Comitiis Principum olim potentiorum ſuffragia præſertim quærebantur. In Comitiis, Wormatiæ A. 1495. habitis, quibus Pax Publica ſtabilita, quum Eberhardus Barbatus, Wirtenbergæ Comes inter Principes cooptaretur, ante Badenſes Haſſos, Pomeranos locum occupavit, Principibus prærogativam hanc ægre ferentibus. In Comitiis Ratisbonenſibus, A. 1576. habitis, inter Wirtenbergicam, Pomeranam, Haſſiacam & Bada-Badenſem Domos jam fuerat conventum, ut Wirtenbergicus cum ſolo alternaret Pomerano, Pomeranus alternaret cum ſingulis; Wirtenbergicus Haſſum atque Badenſem conſtanter præcederet. (*d*) In Comitiis, de quibus agimus, poſt multas concertationes inter Principes memoratos decretum, ut Mecklenburgi Dux quoque reciperetur in numerum; ita quidem, ut æquaretur Pomerano, & cum ipſo alternaret Wirtenbergico. (*e*) De recipienda quoque inter Principes alternantes Holſteinenſi Domo in Comitiis A. 1641. & A. 1653. varia decreta (*f*) edidit Cæſar, ſed ob perpetuum plerorumque diſſenſum nonniſi A. 1740. certis ſub conditionibus res tandem transacta eſt.

(*d*) Zacharias Zwantzig in *Theatro Præcedentiæ* Parte II. Cap. 25.

(*e*) Conventionem hanc exhibet Lunig *Reichs - Archiv* Parte ſpeciali, *andere Abtheilung*, num. 104.

(*f*) Exhibet ea Lunig *Reichs-Archiv* Parte generali Tom. I. pag. 661. ſqq. & Londorp. *Acta publ.* Tom. V. pag. 441.

Protectio Gallica. Prævaluerunt inter hæc in Imperio arma Gallorum, qui cum Marchionatum Badenſem A. 1641. armis petiiſſent, Wilhelmus cum omni ditione Gallicæ ſe protectioni commiſit, eaque de re ad ſingula ditionis ſuæ oppida atque cœnobia die 21. Febr. literas perſcripſit. (*g*) Per Germaniam late tum ſe extenderant Galli. His Svecorum fœderatis maluit ſe, quam Svecis committere; proſpiciens ſacris, quæ in Marchiam reduxerat.

§. XVIII.

Pax Weſtphal. Eodem anno Præliminaria Pacis, ut vocant, inſtituta Hamburgi, quibus conventum, ut Osnabrugæ & Monaſterii de ipſa pace ageretur. Negotium hoc cum fervere cœpiſſet, miſſus a Marchione noſtro legatus Ludov. Nicolaus Trachter A. 1646. ineunte Febr. inter legatos Principum Imperii locum occupavit, intercedente fruſtra Durlacenſi legato. (*h*) Trachterus literis ad Directorium Moguntinum die 26. Martii A. 1646. datis, Durlacenſi contradixit. (*i*) Longa inde & difficilis de reſtitutione agnati ejus Friderici V. Durlacenſis tractatio. Cæſareani, conditionibus ſine Maji A. 1647. oblatis, Præfecturas Remchingen & Stein, reſciſſa Vindobonenſi & Etlingenſi transactione, Friderico reſtituen-

(*g*) Literas has vide in ſcripto Bada-Badenſium contra *Frauenalb* Documentor. pag. 341.

(*h*) MEIERN *Acta Pacis Weſtphal.* Tom. II. pag. 824. ſq.

(*i*) Inſtrumentum extat in Tabulario Bada-Badenſi.

Digitized by Google

das eſſe declararunt; ſed Ritburgenſem Domum, prope Etlingam, compenſationis loco, tradendam Wilhelmo, annuamque penſionem, ex inferiori Marchionatu antea præſtari ſolitam, eidem relinquendam cenſuerunt. (*k*) In aliis dein propoſitionibus, die 29. Junii eodem anno exhibitis, Cæſareani nullam amplius Ritburgenſis Domus injecerunt mentionem, (*l*) annuæ quoque penſionis abolitione conceſſa. At Durlacenſis quatuor præfecturas ſibi reſtituendas eſſe contendit. (*m*) Poſt multos ultro citroque tractatus Weſtphalica tandem pace definitum eſt, ut omni illa actione fructuum perceptorum & percipiendorum, damni, ſumtuumque ſublata, duæ Præfecturæ, Stein & Remchingen Durlacenſi reſtituerentur, abolita quoque annua, qnam memoravimus, penſione. Præterea inter utramque lineam perpetua alternatio or-

O 3

(*k*) Meiern *loco alleg.* Tom. IV. pag. 561. Extat quoque Inſtrumentum hoc Cæſareanorum in ſcripto Bada - Badenſium contra Durlacenſes impreſſo A. 1739. pag. 111.

(*l*) Inſtrum. extat in Tabulario Bada - Badenſi. Addita tamen a Cæſareanis tum clauſula: „ Si tamen alteruter pars plus juris ſibi competere exiſtima- „ verit, id ipſi per hanc determinationem ademptum non intelligatur, „ ſed de eo coram competente Judice experiri reſervatum eſt. „ De clauſula hac, Inſtrumento Pacis inferenda, multum laboratum eſt, ſed irrito labore.

(*m*) Ibidem pag. 905. Add. Pufendorf. Rerum Svecicarum Lib. XIX. §. 107. & 125.

dinis in Comitiis, aliisque Imperii & Circulorum conventibus ſtabilita. Durlacenſi ob ſenioratum regiminis, prærogativa ordinis, quoad viveret, ſervata. (*n*) Stolhova, deductis Gallorum præſidiis, reddita Wilhelmo. (*o*)

Hic cum Landgravio Darmſtadienſi Delegatus dein Cæſaris fuit, reſtituendus cum fuiſſet Palatinus Elector; eumque in finem A. 1650. Norimbergæ verſatus eſt menſe Aprili. (*p*) Ad quinque myriadum Imperialium ſummam, Svecis pro exauctorandis militibus Inſtrumento Pacis conceſſam, Wilhelmus pro ſua parte 35244. florenos contribuit. (*q*) Summa hæc rerum Weſtphalicæ pacis, quoad Bada-Badenſem.

§. XIX.

Wilhelmus Judex Cameræ Imperial.

Quadriennio poſt pacem Germaniæ redditam (1652.) Philippus Chriſtophorus a Sœttern, Trevirenſis Elector & Spirenſis Epiſcopus, Sanctioris Tribunalis, Cameræ Imperii, quod vocatur, Judex, Præſesque primarius obiit. Ferdinandus III. Imp. in ſupremo hoc Judicio ſucceſſorem ei ſubſtituit Marchionem

(*n*) Inſtrum. Pacis Art. IV. §. 26.

(*o*) MEIERN *Acta Pacis Weſtphal.* Tom. VI. *Beilage zum Vorbericht* pag. 8. & *Acta executionis* Tom. I. pag. 230.

(*p*) Idem *Actor. Execut.* Tom. II. pag. 104. & 231.

(*q*) *Acta Pacis Weſtphal.* Tom. VI. pag. 633. & *Acta Executionis* Tom. II. p. 146. & pag. 426.

Wilhelmum. Munus hoc Calendis Quinctilibus ejusdem anni quum fuiſſet ingreſſus Spiræ, (*r*) ubi tum Tribunal conſtitutum, per totos triginta quinque annos ſumma cum dignitate & gloria illud adminiſtravit, omnemque operam impendit, ut durantibus belli Germanici turbis fere peſſundatum, priſtino redderetur ſplendori. Solicitudini ejus præſertim debentur ea, quæ in Comitiis Ratisbonenſibus A. 1654. de Camerali Judicio & adminiſtratione Juſtitiæ fuerunt decreta. In fervida illa lite, quæ mortuo Ferdinando III. Palatinum inter & Bavarum de Vicariatu Imperii A. 1657. agitata eſt, Wilhelmus cum Camera Ferdinandi Mariæ, Electoris Bavariæ, ſecutus eſt partes. (*s*) Eodem anno die 19. Oct. centum quinquaginta ſententias Cameræ, inaudito exemplo, juſſit publicari. (*t*) A. 1666. & ſequenti operam multam Wilhelmus impendit, ut Cameræ ejusque ſtatus interni inſtitueretur examen. Non unum hac ſuper re in Comitiis impetravit decretum; quæ caruerunt ſucceſſu. De eiusdem Judicii ſuſtentatione ſolicitus, A. 1671. rem eo redegit, ut ordinandæ Matriculæ & rationibus conficiendis, Imperii Deputatio, quam vocant, de-

(*r*) Literæ Collegii Cameralis ad Electorem Moguntinum de Introductione Wilhelmi Marggravii Badenſis; extant in Modeſtini & Pomponii (Ludolfi) Colloquiis familiaribus de Statu Cameraris Judicii in Imperio Supremi pag. 338.

(*s*) LONDORP. *Acta Publ.* Tom. VIII. pag. 132.

(*t*) ZECHII *Europ. Herold.* Tom. I. pag. 503.

Wilh.

cerneretur. (*u*) At penſiones, ei ipſi debitæ, non fuerunt ſolutæ. Ultra XL. millia thalerorum ab Imperio A. 1703. eo nomine nepos ejus repetiit Ludovicus Wilhelmus. In Comitiis Ordines die 16. Martii ejus anni decreverunt, ut menſis Romanus, quem ſtylo publico appellant, debito delendo ſolveretur (*x*) Ludovico.

Nec prætereundum ſilentio, quod gravi illo Gallorum contra Batavos bello paulatim in Germaniam ſerpente, Wilhelmus de Cameræ Spirenſis ſecuritate ſolicitus A. 1674. ad Cæſarem Leopoldum, ad Comitia Imperii, ad Electorem Palatinum literas ſcripſerit, a belli periculo Spira ut redderetur immunis Cameræque Judicia peragerentur tranquille. Sperabat Wilhelmus Gallos non læſuros eſſe urbem, quæ nullum auxilium eorum hoſtibus præbeat. (*y*) Nec ſpes eum decepit. Spira durante hoc bello neutrarum partium fuit, manſitque illæſa. (*z*)

§. XX.

Lites de Monaſt. Herrenalb.

Eminens Judicis Cameræ dignitas dedit occaſionem, ut diuturnæ de Albenſi & Reichenbacenſi Cœnobiis lites, de quibus ſupra

(*u*) Ludolf. *hiſtoria ſuſtentationis Cameræ Imp.*

(*x*) Theatr. Europ. Tom. XVI. Part. II. pag. 41.

(*y*) Londorp. *Acta Publ.* Tom. X. pag. 271. ſeq.

(*z*) L. B. de Harpprecht *urkundliche Nachrichten von des Kaiſerl. Cammergerichts Schickſalen in Kriegszeiten.*

Digitized by Google

ſupra jam ſermo, ſub Wilhelmo noſtro renovarentur. Chriſtophorus, Wirtenbergæ Dux, uti ſupra oſtendi, (*a*) Albæ Dominorum Abbatiæ vicos, a Badenſibus poſſeſſos, A. 1560. vi armata occupaverat, ſubditisque jurejurando adactis, prohibuerat, ne ſubſidiariam partem, a Philiberto Marchione illis impoſitam, perſolverent. Lis ad Cameram delata pro Badenſibus A. 1595. die 27. Aug. deciſa eſt. Wirtenbergico injunctum, ut, relictis in poſſeſſione juris collectandi Badenſibus, de non turbando in poſterum cautionem præſtaret. (*b*) Wirtenbergicus non reſtituit loca, ſed A. 1603. Erneſto Friderico Durlacenſi, qui ſuperiorem inter hæc occupaverat Marchiam, in compenſationem præfecturarum Badenſium Altenſteig & Liebenzell, de quibus ſubortæ quoque fuerant lites, Præfecturas Malſch & Langenſteinbach reliquit. (*c*) Conventioni huic, Badenſibus damnoſæ, Georgius Fridericus interceſſit, frater Erneſti; ſed irrito conatu. Wilhelmus, quum A. 1622. ex Conſilii Aulici decreto reciperet ditiones, reddita eſt ei quoque Præfectura Malſchenſis, ſola Langenſteinbaci Præfectura apud Durlacenſes manente. Inſecutum eſt denique

(*a*) In Philiberto §. 4.

(*b*) Sententia hæc extat in Meichsner. Tom. IV. *Deciſ.* 35. & in Diatriba ſæpius allegata: *Grund- und Actenmæſige Information Baaden-Baaden contra Wirtenberg* inter documenta pag. 131.

(*c*) *Diatriba alleg.* p. 20. & 21. & *inter Documenta* p. 140.

WILH.

A. 1629. die ſexto Martii Ferdinandeum Edictum, quo Proteſtantes Eccleſiaſtica bona, a Transactionis Paſſavienſis temporibus occupata, Catholicis reſtituere jubebantur. Albæ Dominorum Abbatia reſtituendis annumerata. Virtute Edicti hujus Wilhelmus Marchio Malſcham & Ottersviram, (*d*) quoad reditus Monaſticos, reſervatis ſibi territorii juribus, Nicolao Abbati A. 1631. reſtituit; annoque ſequente, inſtituta contra Wirtenbergæ Ducem apud Conſilium Aulicum actione, reliqua Advocatiæ Albæ Dominorum loca, quæ in Marchica ditione ſita, atque in transactione A. 1497. enumerata, (*e*) ſibi ut reſtituerentur poſtulavit. Lis durante bello tricennali protracta; poſt Pacem Weſtphalicam A. 1654. & 1661. fortius agitata, ad noſtra uſque tempora inter indeciſas refertur. (*f*)

§. XXI.

Reichenbacum Wirtenbergæ

Reichenbacenſe cœnobium, in quod Philibertus, A. 1557. tranſigens, ſua vindicaverat jura, (*g*) eodem tempore, quo Mar-

(*d*) *Ibidem* pag. 22.

(*e*) Ex locis, hac transactione Advocatiæ Badenſi relictis, Durlacenſes, virtute permutationis, A. 1603. *Langenſteinbach*, *Utterſpach*, *Dietenhauſen*, *Urbach*, *Spielberg;* Wirtenbergici vero *Loffenau*, *Neuſatz*, *Rothenſohl*, *Bernbach*, poſſident hodieque. *Diatrib. alleg.* p. 36.

(*f*) *Ibidem* pag. 22.

(*g*) Vide Philibertum §. 5.

chiam ſuperiorem Erneſtus Fridericus ſibi vindicaverat, a Friderico, Wirtenbergæ Duce, occupatum eſt A. 1595. Joanne Higelio, Priore ejus, expulſo. (*h*) Querenti ea de re Durlacenſi Erneſto Wirtenbergenſis reſpondit, Hirſaugienſis Monaſterii, ad ſe pertinentis, jura in Reichenbacum ad ſe quoque pertinere; Badenſium & Eberſteinenſium juribus ſe non derogaturum. (*i*) Hirſaugienſe Monaſterium ante Pacem Religioſam a Wirtenbergæ Ducibus ſeculo addictum, ut Eccleſia mater, jurisdictionis eccleſiaſticæ partes (*k*) in Reichenbacenſi exercuerat Prioratu. Hirſaugienſium jura ad ſe devoluta eſſe, filiamque matris ſequi fortunam Wirtenbergenſis contendit. Higelius Prior, cœnobio exul, ad Rudolphum II. Imperatorem confugit, atque ab eo Mandatum, quod vocant, A. 1596. d. 7. Junii impetravit, quo Wirtenbergicus intra ſex hebdomadas Reichenbacenſes in integrum reſtituere jubetur. (*l*) Reſtitutio tamen non facta. Wirtenbergicus poſſeſſio-

Dux ſeculo addicit.

(*h*) Besoldi *Documenta rediviva Virginum ſacrar.* pag. 271. Petri *Suev. Eccleſiaſt.* pag. 705.

(*i*) Act. vide in Diatr. paulo ante allegata: *Baaden contra Wirtenberg in Documentis* pag. 167.

(*k*) Abbas Hirſaug. Reichenbacenſem inſtituerat Priorem atque inſpectionem in cœnobium habuerat. Petri *Suev. Eccleſ.* pag. 704. *Diatrib. alleg.* pag. 381.

(*l*) Extat mandatum in *Diatriba alleg.* pag. 169.

WILH.

nem ſuam ut novo titulo fulciret, Eberſteinenſium quoque jurium in Reichenbacum partem pro XXIII. millium florenorum ſumma A. 1602. coëmit; (*m*) & ab hoc tempore abolita Badenſi Advotia, in ſuum jus transtulit omne Cœnobium. Inſtituti quidem ſunt rei tranſigendæ Stutgardiæ conventus A. 1605. Reichenbaci A. 1606. 1618. 1619. & A. 1614. Pforzhemii. Litigatum in Camera; ſed irrito ſemper labore. Wilhelmus A. 1622. terris reſtitutus avitis, obtinuit, ut Leopoldi Archiducis, cui Cæſar rei exequendæ curam commiſerat, legati Johannem Fridericum, Wirtenbergæ Ducem literis monerent, amicabili compoſitione ut litem terminaret. (*n*) Sed executorum monita caruerunt effectu.

§. XXII.

Wilhelmo ex parte reſtituitur.

Poſt Edictum denique Ferdinandeum, de quo modo diſſerui, reſtituto Reichenbacenſi cœnobio, (*o*) Wilhelmus A. 1630. Stutgardiam miſit legatos, qui non reſtitutionem tantum Monaſterii Albæ Dominorum, ſed & Badenſem Reichenbacenſis Cœnobii partem, cum Eberſteinenſi petierunt; quam virtute Pacis Caſtrenſis cum

(*m*) Inſtrumentum exſtat p. 331. *Diatribæ alleg.* Emtio venditio hæc pactis Eberſteinenſium cum Badenſibus adverſabatur, quibus conventum, ut neuter absque alterius conſenſu ex Eberſteinenſi Comitatu alienaré quid poſſet. MEIERN *Acta Pacis Weſtphal.* Tom. IV. pag. 54.

(*n*) *Diatribe alleg.* pag. 173.

(*o*) Vide *literas Cæſaris ad Wirtenbergiæ Ducem* ibidem pag. 391.

Eberſteinenſibus initæ, (*p*) reluere potuerunt Badenſes. Wirtenbergæ Dux, auditis legatis, ad condominium cœnobii Reichenbacenſis & jurisdictionis communionem anno ſequente Wilhelmum admiſit. Homagium a Reichenbacenſium ſubjectis, utriusque Principis nomine, præſtitum. (*q*) At A. 1632. in alia omnia diſceſſit Eberhardus III. Wirtenbergæ Dux.

Iterato ei aufertur.

Irruentibus enim Svecis victoribus, terras ſuas cum reliquiſſet Wilhelmus, Reichenbacenſe quoque Cœnobium illi ablatum eſt, Monachique ejecti. Cæſar literis die 22. Sept. A. 1663. Vindobonæ datis, jura ſua reſervavit Marchioni; (*r*) qui Svecis ad Nordlingam fuſis, in Marchiam redux, reſtitutionem hujus Cœnobii apud Wirtenbergæ Ducem egit conſtanter. Dux, nectens moras, ad Pacis usque Weſtphalicæ tempus rem diſtulit. Senatus Imperii aulicus occaſionem opportunam ut expectaret, A. 1635. ſuaſit Wilhelmo. (*s*) Quum autem in Weſtphaliæ tractatibus de reſtitutione Domus Wirtenbergicæ in Herrenalb & Reichenbach mentio injiceretur; (*t*) Wilhelmus, de juribus ſuis

P 3

(*p*) Conventio hæc extat *loc. alleg.* pag. 317. Add. Tom. II. pag. 326.

(*q*) Acta vid. ibid. pag. 393. ſqq.

(*r*) Literas has exhibet Diatriba pag. 396.

(*s*) Decreta hæc vide ibid. pag. 397.

(*t*) Singula, quæ de reſtitutione horum cœnobiorum, Wirtenbergiæ Duci facienda, in Tractatibus Pacis Weſtphal. acta fuerunt, vide in Meiern

WILH.

ſollicitus, Stutgardiam miſit legatum; Ducis ea de re ut cognoſceret animum. Hic verba illa generatim poſita, Badenſibus juribus fraudi non futura oſtendit, curaturum ſe addens, ut quam primum ſatisfiat Wilhelmo. (u) Marchio his promiſſis contentus, apud internuncios pacis jura ſua ulterius non proſecutus eſt; plures poſt annos de Reichenbacenſi Albenſique Cœnobiis novam in Conſilio Aulico litem A. 1654. Wirtenbergico intendere coactus, quæ durat hodieque.

Hæc de Reichenbaco & de Alba Dominorum quæ, ſunt Monaſteria virorum.

§. XXIII.

Albam Dominarum reformat Durlacenſis.

Alba Dominarum, Ordinis S. Benedicti Partheno, a Bertholdo Eberſteinenſi Comite A. 1148. conditum, multis quoque ſub Wilhelmo litibus præbuit occaſionem. Eberſteinii Comites, eorumque ſucceſſores Badæ Marchiones, ut Advocati & Domini, ab antiquo in cœnobium exercuerant jura, quæ ſanctimoniales, libertatem affectantes, nonnunquam impugnaverant; Cæſarem Dominum ſolum agnituræ. Erneſtus Fridericus, Marchia ſuperiore potitus, viſitandi jus una cum Eberſteinenſi Comite exercens, moniales & ipſam Abbatiſſam, corruptos ob mores, man-

Act. Pacis Weſtphal. Tom. III. pag. 438. Tom. IV. pag. 53. ſeq. pag. 81. 93. 138. 158. 561. Tom. V. pag. 460. 917.

(u) Vide *Acta* pag. 315.

cipavit cuſtodiæ, & Auguſtanæ Confeſſionis ſacra in monaſterium introduxit. Epiſcopus Spirenſis, cujus Diœceſi Alba Dominarum fuerat ſubjecta, non Eccleſiaſticam modo, ſed & ſecularem ſuam jurisdictionem læſam eſſe contendens, virtute Conſtitutionis de pignorationibus (x) Mandatum a Camera Imperiali obtinuit, (y) quo Marchioni & Eberſteinenſi Comiti injunctum, ut Abbatiſſa & Monialibus captivitate liberatis, privilegia & documenta, quæ Gernſpacum transtulerant, cœnobio reſtituerent. Marchio & Eberſteinenſis Comes, rejectis, quas in Camera ipſi allegaverant exceptionibus, (z) reviſorio judicio ſibi proſpiciendum putarunt, exhibitoque Deputatis, Spiræ A. 1600. agentibus, libello docuerunt, nullam Spirenſi ſecularem in cœnobio jurisdinem competere, ſed omne territorii jus ad Eberſteinenſes & Badenſes ſpectare. Eccleſiaſticam vero Epiſcopi jurisdictionem Pace Religionis ſuſpenſam, adeoque reformandi & coërcendarum Monialium auctoritatem penes ſolos Eberſteinenſes & Badenſes, utpote ditionis dominos, eſſe. Denique Marchio jurisdictionem Cameræ, quoad hanc litem declinavit, quod Pacis Religioſæ interpretatio reſervata Comitiis.

(x) Conſtitutio hæc pignorationis in Comitiis A. 1555. lata in *Ordinatione Camer.* occurrit Part. II. tit. 22. & 23.

(y) Menſe Majo 1598.

(z) Pertinet huc inprimis exceptio maleficii & rei controverſæ.

§. XXIV.

Wilhelmus moniales reſtituit.

In eo ſtatu res erat, Wilhelmus A. 1622. patris ſui hereditatem cum adiiſſet. Abbatiæ Albæ Fœminarum ſubjecti cum ceteris Eberſteinenſis Comitatus ſubjectis jusjurandum fidelitatis ei præſtiterunt. (*a*) Monaſterii reditus A. 1625. aſſignati fuerunt fratri ejus Alberto. (*b*) Promulgato autem Ferdinandi II. Imp. edicto A. 1629. reſtituendæ quoque hujus Abbatiæ neceſſitas Marchioni injuncta. Diverſæ regulæ Moniales Cœnobio introducendi poteſtatem ei conceſſerat Pontifex. Sed Cameræ & Epiſcopi Spirenſis auctoritate permotus, una cum Comitatus Eberſteinenſis uſurpatoribus priſtinæ regulæ Moniales A. 1631. in monaſterium reduxit, Advocatiæ & territorii juribus, quæ ante occupationem habuerat, ſibi diſerte ſervatis. (*c*) Et tamen litem novam

---

(*a*) Inſtrum. extat in ſcripto Bada-Badenſium contra Frauenalb A. 1722. edito, pag. 284.

(*b*) Vide Eduardum Fortunatum §. 18.

(*c*) Conf. Relatio HAFFNERI Doctoris ad Marchionem Wilhelmum de introductione Monialium in Cœnobium Albæ Dominarum d. 1. Martii A. 1631. ſcripta. Extat in ſcripto allegato pag. 130. Marchio non Advocatiæ modo, ſed & ſuperioritatis territorii jura ſibi & Condominia Eberſteinenſibus ſervavit. (*Die Hohe Landesfürſtliche Ober- und Herrlichkeiten und was denſelben anhängig, desgleichen das Hoffgericht und darunter begriffene Fäll, auch Kaſtenvogtey, Schutz und Schirm, auch andere Gerechtigkeiten &c.*) Adde *ſcript. alleg.* pag. 369.

vam Wilhelmo A. 1638. intentarunt Moniales. Cameræ tum judex erat Phil. Chriſtoph. Spirenſis Epiſcopus, qui & Trevirenſis Elector. Camera contra Marchionem tria expedivit Mandata; quibus ei injunctum, ut via facti omiſſa, juris ordinem ſervaret.(*d*). In eandem ſententiam Ferdinandus III. Cæſar ex Comitiis Ratisbonenſibus A. 1641. ad Marchionem reſcripſit. (*e*) Hic jura ſua fortiter vindicans, ab Epiſcopo devotus eſt diris. Epiſcopus Galliæ regis opem ſe imploraturum profeſſus eſt. (*f*) Continuos hos inter motus compoſita tandem fuit Weſtphalica pax; virtute cujus, ex anni reſtitutorii legibus, Wilhelmo & Eberſteinenſibus Cœnobium debuiſſet reſtitui. Reſtitutio, in Conventu Deputatorum Imperii A. 1650. decreta, caruit ſucceſſu. (*g*)

§. XXV.

Enimvero Schwarzacenſis atque Schutterani Abbatum interceſſione Wilhelmus novo Diplomate die 16. Jun. A. 1655. Cum illis tranſigit poſt Pacem Weſtphal.

(*d*) Extant *loco alleg.* pag. 403. ſq.

(*e*) Ibid. pag. 406.

(*f*) Ibid. pag. 64. & 371.

(*g*) *Scriptum alleg.* p. 83. Adde MEIERN *Acta Executionis* Tom. I. p. 579. 757. Tom. II. pag. 174. 768. Eberſteinenſes jam A. 1651. in poſſeſſionem dimidiæ ſuæ reductos eſſe aſſeruerunt pacis executores; *Acta Executionis* Tom. II. pag. 874. factum eſſe ſperantes, quod fieri debebat, revera tamen neque tum, neque poſtea ad noſtram usque ætatem eſt perfectum.

dato accedente Wolkenſteinii & Cronsfeldæ Comitum conſenſu, priſtina jura confirmavit monialibus, easque cum omni ditione in ſuam & ſociorum tutelam de novo recepit. Caſimirus Comes Eberſteinenſis, cui ex Pacis Weſtphalicæ legibus Monaſterii pars dimidia debebatur, partim ætate, partim contentionibus cum Wolckenſteinii & Cronsfeldæ Comitibus fuit impeditus, quo minus novæ huic conventioni conſenſum præberet. Eadem conventione ſervata ſunt Badenſibus regalia, a majoribus poſſeſſa; de quibus in poſterum ne lites orirentur, ſequente transactum eſt modo:

1. Cauſæ Criminales, ubi ex Conſtitutione Carolina carnificis requiritur opera, ad Marchionem & Eberſteinenſes Comites pertineant. Reliqua delicta Abbatiſſæ ejusque Monialibus vindicandi jus eſto.

2. Ab inferioribus Abbatiſſæ judiciis ad judicium Portæ Cœnobii (*h*) & inde, more olim recepto, ad Badenſes & Eberſteinenſes præfectos judiciumque Aulicum Marchionis fiat provocatio.

3. Ad annuum provinciæ cenſum, (*i*) ut & ad omnia Imperii onera, contribuant Moniales; ſubditorum Cœnobii cenſum

(*h*) *Das Pfortengericht zu Frauenalb.*
(*i*) *Die Jährliche Landſchatzung.*

exigant Albenſes præfecti, qui Marchicis ac Eberſteinenſibus eum transmittant.

4. Jus conductus per Cœnobii ditiones, absque moleſtia Cœnobii ejusque ſubditorum Marchio ſociique exerceant.

5. Iisdem, urgente neceſſitate, competat jus ſequelæ atque delectus (*k*) ad defenſionem provinciæ.

6. Jus venandi feras majores in Albenſibus ſilvis Marchioni, at feras minores capiendi jus Abbatiſſæ aſſeritur.

7. Præfectos ſuos Abbatiſſa conſtituat; qui Badenſibus & Condominis, munus adituri fidem adſtringant, conventionem hanc literasque protectionis ſe ſancte ſervaturos. Præfectus, a Condominis vocatus, conſenſu Abbatiſſæ, in Comitiis provincialibus, ubi Cœnobii ejusque ſubditorum cauſa vertitur, compareat atque in præſentia Abbatiſſæ & Conventus Cœnobii, ut & legatorum, a Condominis miſſorum, adminiſtrationis ſuæ rationes exhibeat.

8. Gabella vini (*l*) dimidia ex parte adſcribitur Condominis; altera pars una cum ſalmonum decimis (*m*) ad Cœnobium ſpectet.

(*k*) *Ausſchuſs.*
(*l*) *Ohmgeld.*
(*m*) *Lachszehenden.*

9. Religio Romana in Monaſterio & in omni ejus ditione perpetuis temporibus illibata perſiſtat. Omnis in Religione mutatio Abbatiſſæ & Conventui ipſisque Condominis eorumque heredibus & ſucceſſoribus interdicitur. (*n*) Pacta conventa, tam ſollicite conſcripta, finem litibus impoſuiſſe crederes. Sed nec ita finis turbarum, quæ ſeculi hujus initio vehementius commotæ ſunt, uti ſuo loco videbimus.

§. XXVI.

Comitatus Eberſtein. ad Badenſes tranſit.

Quinquennio poſt (A. 1660.) Eberſteinenſis Comes Caſimirus, gentis ſuæ poſtremus, deceſſit. Orta hinc Wilhelmo noſtro cum Lothario, Spirenſi Antiſtite, diſputandi materia, quæ ut clarius intelligatur, ad ſecula ſuperiora regredimur.

Jam A. 1389. dimidia Comitatus Eberſteinii pars ſub Rudolpho VII. Marchione emtionis titulo ad Badenſes pervenit. (*o*) Chriſtophorus Marchio communionem Comitatus pacemque perpetuam Caſtrenſem A. 1505. cum Bernhardo Eberſteinenſi inivit; (*p*) qua alienatio terrarum prohibita & reluendi jus utrique aſſertum. Philippus Eberſteinius ſine maſcula ſo-

(*n*) Inſtrum. hoc legitur in *Scripto alleg.* pag. 372.

(*o*) Adi Tom. II. pag. 128.

(*p*) Ibid. pag. 266. & 326.

bole A. 1589. obiit. Tum vero Philippus & Johannes Jacobus, Eberſteinenſes agnati, excluſis Philippi filiabus, (q) bona occuparunt. Hæ litem ad Cameram detulerunt, quæ A. 1620. pro illis deciſa. Reviſionem actorum, quam vocant, petiit Johannis Philippi, qui patri Philippo ſucceſſerat, patruus tutor. Camera Spirenſis, lata die 5. Decembr. A. 1621. ſententia, reviſioni huic, quoad bona Eberſteinenſia avita, ſuſpenſivum, quem vocant, adjudicavit effectum, dictumque tutorem ad reviſionis juramentum admiſit. At poſtquam Johannes Philippus, Chriſtiani Brunſvicenſis, Adminiſtratoris Halberſtadienſis, quem Ferdinandus Imperator hoſtem dixerat, exercitum ſecutus, Mœno fluvio prope Hœchſtam, ſubmerſus, periiſſet, Ferdinandus Cæſar, adverſariorum precibus motus, reviſione poſthabita, omnia Johannis Philippi, in perduellionis reatu mortui, bona adverſariis addixit. Executorem ejus rei Leopoldum Wilhelmum, Archiducem, Argentinenſem Epiſcopum nominavit. Hic Cæſaris mandato obtemperans, Iſaacum Volmarum ſuo nomine ablegavit, qui medios inter belli ſtrepitus, d. 30. Mart. A. 1624. in oppido Epiſcopali Ruffaco, & die 24. Oct. ejusdem anni Gernsbaci amplam conciliavit tranſactionem. Jo-

(q) Ex tribus Philippi filiabus Johanna nupſit Comiti Zollerenſi, Sibylla Comiti Cronsfeldio, Maria Chriſtophoro Franciſco, Wolckenſteinio Comiti; qui uxoris nomine cauſam contra agnatos ſtrenue egit, victorque evaſit.

Digitized by Google

WILH.

hannes Jacobus Eberſteinius Comitatus Feuda ſervavit; reliqua bona majorum, ſive allodia gentis tranſierunt ad filias. (r) Ita locorum Forbach, Bermersbach, Gauſpach, Langenbrand, Au, Weiſſenbach, Reichenthal, Hilpertsau, Oberzuroth, Lautenbach, Hœrden, Ottenau, Seelbach, Freyolzheim, Muckenſturm, & Michelbach dimidia pars, contra familiæ Eberſteinenſis leges, ad fœminas pervenit.

§. XXVII.

Lis de eo cum Spir. Epiſcopo.

Caſimiro autem, Eberſteiniorum omnium poſtremo, ſine prole, ut dixi, defuncto, feuda Comitatus ad ſe rediiſſe Domini contenderunt directi. Unde dimidia quoque Gernsbaci & vicorum Scheuren ac Stauffenberg pars ad Epiſcopum Spirenſem pervenit; qui per legatos A. 1661. a locorum iſtorum incolis pro parte illa exegit homagium. Occupavit etiam Epiſcopus vicum Neuenbürg, contradicente tamen vidua gravida & filia, quam enixa eſt die 20. Maji A. 1661. Albertina Sophia Eſther, quæ A. 1679. Friderico Auguſto, Duci Neuſtadio - Wirtenbergico nuptui collocata, jura ſua in victum iſtum ſæpiſſime repetiit. Sed legati, præter hæc loca ſeptem

(r) Tranſactio Ruffacenſis A. 1624. inita extat in Diatriba tit. Facti ſpecies contra Spirenſem Eccleſiam a Bada-Badenſibus impreſſa A. 1763. pag. 33.

Digitized by Google

quoque vicos, Seelbach, Hilperzau, Lautenbach, Reichenthal, Weiſenbach, Langenbrandt & Gauſpach, ad Epiſcopum, ut Dominum directum, pertinere contenderunt. Vici hi ex numero illorum XVI. ſunt, qui in transactione Ruſſacenſi A. 1624. pro allodialibus agniti. Hos nunc, tanquam feuda Spirenſis Eccleſiæ, ultimi vaſalli morte, quoad partem dimidiam, ſibi vindicavit Epiſcopus. At Wilhelmo noſtro & allodiorum Eberſteinenſium poſſeſſoribus in contraria euntibus, ad præſtationem homagii non admiſſi ſunt legati.

§. XXVIII.

Tredecim annis poſt mortem Caſimiri (1673.) Philippi filiarum heredes, Cronsfeldii & Wolckenſteinii Comites, allodialem Comitatus Eberſteinenſis partem, transactione Ruſſacenſi ipſis adjudicatam, Epiſcopo Spirenſi vendiderunt. Wilhelmus Marchio, vi Pacis Caſtrenſis, Badenſes inter & Eberſteinios antiquitus initæ, reluendi jus ſibi competere; Epiſcopus definitum reluitionis tempus a Badenſibus neglectum eſſe, contendit. A. 1676. die X. Martii facta conventio, ut allodialis pars, a Spirenſi nuper acquiſita Epiſcopo, Badenſibus, emtionis pretium reddituris, relinqueretur. Septem autem illi vici, de quibus controverſum, pro Spirenſibus habeantur feudis, donec allodiales eos eſſe probarint Badenſes. Jus conductus parti ſit utrique commune. Tributa Imperii ab utriusque colligantur præfecto. Spi- Transactio.

Digitized by Google

renſis Epiſcopus in oppido Gernsbacenſi & omni Eberſteinenſi Comitatu jus Diœceſanum in Catholicos exerceat. Ratione Proteſtantium Weſtphalica Pax obſervanda commendatur Epiſcopo. (*s*) Hæc de forenſibus Wilhelmi bellis, nunc ad bellum ſanguinolentum progredior.

§. XXIX.

Bellum Turcicum.

Mahometes IV. Turcarum Sultanus A. 1663. bellum contra Hungariam paravit. (*t*) Leopoldus Imperator apud Germaniæ Proceres & apud Galliæ Regem quæſivit auxilia. In Comitiis Ratisbonæ, quæ ab eo tempore perpetua eſſe cœperunt, Cæſar ipſe dicto anno comparuit. Wilhelmus noſter & Fridericus Bada-Durlacenſis iisdem interfuerunt. Virtute Comitialis decreti, quod tributi matricularis ordinarii triplum impoſuit Statibus, Wilhelmus noſter per totam Marchiam fecit delectus & omnia præparavit ad bellum. Secundo genitus filiorum ejus, Leopoldus Wilhelmus, totius exercitus, quem Germania collegit, Supremus ab Imperio conſtitutus eſt belli Dux. (*u*) Summi Vigilum Magiſtri

(*s*) Transactioni huic, feudalis vicorum memoratorum qualitatis intuitu, literis de 17. Nov. 1677. Durlacenſis interceſſit.

(*t*) RICAUT *Hiſt. de l'Empire Ottoman* Tom. III. p. 4. ſeq. Ordinatus erat campanæ Turcicæ pulſus, hodieque durans, item publicæ preces & feriæ. Vide *Receſſus & Decret. Imperii* Part. IV. num. 1. ſq.

(*u*) *Reichs-Feldmarſchall.*

Digitized by Google

ſtri munus (x) Guſtavo Adolpho; Friderici VI. Durlacenſis fratri, commiſſum. Gothardiana victoria, quam plenam A. 1664. a Turcis reportarunt Germani, bellum in vicennales convertit inducias, quæ factæ ſunt die X. Auguſti in Turcicis apud Vasvarum caſtris. (y)

In ipſis his Ratisbonæ Comitiis Cæſar Domui Badenſi die 11. Aprilis dedit Diploma, quo Marchionibus regnantibus tribuit *Sereniſſimi* axioma.

§. XXX.

Belli Turcici finis civili Germaniæ bello ob Wildfangiatum cum Carolo Ludovico, Electore Palatino A. 1665. fere dedit initium. Leopoldus Imperator, literis, die 20. Aprilis Vindobonæ ſcriptis, Wilhelmum rogavit, ut ad Electorem Palatinum ſe quantocius conferret; ſuaque & Cæſaris auctoritate ad mitiora eum perduceret conſilia. (z) Interventu ejus Principes, Electo- Turbæ de Wildfang.

(x) *General - Wachtmeiſter.* Decreta Imperii vide *loc. alleg.* num. 3.

(y) *Theatrum Pacis* Tom. II. pag. 195. Ricaut *Hiſtoire des Turcs* Tom. III. pag. 115.

(z) Literæ extant in *Diario Europæo* Part. XII. Append. pag. 52. Confer librum, cui Titulus: *Defenſio Juris Regalis Palatini in homines proprios, ſive juris Wildfangiatus* pag. 182.

WILH.

ri Palatino contrarii, præviam hoc anno pactionem Oppenhemii ſignarunt die 15. Nov. quam Cæſaris nomine firmavit Wilhelmus; (*a*) qui A. 1668. una cum Friderico Durlacenſi componendis turbis inter Lotharingiæ Ducem & Electorem Palatinum, ut & inter Moguntinum & Palatinum, Legati Cæſarei quoque geſſerat munus. (*b*)

Paulo poſt ipſi Wilhelmo de ſervitiis militaribus & hominibus propriis in utriusque ditione lis cum eodem Palatino exorta, quæ amica transactione A. 1669. ſopita eſt Spiræ.

§. XXXI.

Geſta reliqua.

Inter hæc (A. 1666.) Wilhelmus Eugenius, Lineæ Rodemacheranæ Badenſis, donatione mortis cauſa, Luxenburgicas Domus hujus terras Wilhelmo noſtro reliquit.

Hic ſexennio poſt (1672.) Spanheimenſes ſuper terras cum Chriſtiano II. Comite Palatino Birckenfeldenſi conventionem inivit. Placuit inter alia, ut exercitium Religionis privatum & publicum, ad anni decretorii normam, in Comitatu citeriore obſervaretur. (*c*)

(*a*) Diarium Europæum *loco allegato* pag. 324. & 330.

(*b*) Diar. Europ. Part. XX. pag. 113. & 149. Theatr. Europ. Tom. X. pag. 785.

(*c*) Lege Commentationum cui titulus: *Kurtz-gefaſſte, jedoch gründliche Ablei-*

Quadriennio ante mortem (1673.) die 22. Martii, nepoti ex primogenito, ſucceſſori ſuo futuro, ut & liberis ſuis, ætate minoribus, proſpiciens, Mariam Magdalenam, conjugem ſuam & Hermannum filium, tutores; Philippum Wilhelmum, Palatino-Neoburgicum, ſapientiſſimum Principem, honoris cauſa, curatorem conſtituit.

§. XXXII.

Obitus & Character.

A. 1677. die 22. Maji, ætatis octoginta, regiminis LV. annorum, extinctus eſt Wilhelmus; magnum Germaniæ lumen. Dignus tamdiu qui viveret; tamdiu qui regnaret, imo qui regnaret diutius; dignus meliora qui in tempora incidiſſet. At animum ejus ad virtutem acuit adverſitas; optima virtutis palæſtra. Natus ex prodigo patre; ex conjugio, quod impugnarunt agnati. Natus paulo antequam Marchia ejiceretur pater; in exilio mortuus, ipſe ad trigeſimum usque vitæ annum fuit patria extorris. Reſtitutus Marchiæ, viginti totos ſex annos ſpem inter & metum transegit; vel a Svecis, vel a Gallis, Svecorum fœderatis, Marchia expulſus; a Cæſareis reſtitutus; prouti ſors armorum hoſtibus vel amicis favere videbatur; nonniſi pace, apud Weſtphalos conſtituta, tranquillus. Tum vero glorioſa vitæ ejus periodus incepit, quam per ſex luſtra ſine interruptione felix peregit; Mar-

nung des Fürſtl. Baden-Badiſchen vermeintlichen Paritions-Berichts ad Reſcriptum Cæſar. de dato 10. Dec. 1722.

Digitized by Google

WILH.

chiæ ſuæ reſtaurator, ſtator & pater; lenitate, juſtitia & moderatione conſpicuus. Frugalitatis & parſimoniæ rarum exemplar; ſine quibus rei domeſticæ vulnera nunquam ſanaſſet. Cæſari & Imperio fidus; cum finitimis amicitiam colens; Ludovico XIII. ejusque ſucceſſori carus. (*d*) Hujus indolis Princeps, ad artes togatas natus, Bellonam miles ſi novercam expertus eſt, mirabitur nemo. De Romanis majorum ſuorum ſacris, in Marchia reſtituendis, ſollicitus, moderate id, & ſecundum leges, quas Religioſa Pax, nondum confecta Weſtphalica pace, Germanis præſcribit, facere conſtituit; ut ipſe in Epiſtola, ad Senatum Populumque Argentinenſem perſcripta, diſerte declarat. (*e*) Habitus cor-

(*d*) Contractus matrimonii, quod inter filium Ferd. Maximil. & Ludovicam Chriſtinam, Sabaudicam Principem, Lutetiæ Pariſiorum educatam, conciliavit Wilhelmus, his verbis rem exprimit: „ Comme ainſy ſoit, que
„ le feu Roy Louis le juſte d'immortelle memoire ait eu une parfaite
„ amitié pour le Sereniſſime Prince & Seigneur, Guillaume Marggrave de Bade & de Hochberg, & que lui pour la conſerver ait en tout
„ rencontre, fait paroitre, le reſpect, qu'il portoit à Sa Majeſté,
„ mesmes eſſayé par ſes ſervices de meriter ſes bonnes graces, &
„ qu'ayant la même paſſion, d'avoir par les memes voyes, part en l'amitié de Sa Majeſté à preſent regnante & pour la poſſeder de plus
„ en plus, ait fait entendre à ſa dite Majeſté le deſir qu'il avoit de
„ marier &c. &c.

(*e*) Scripta eſt hæc Epiſtola Badæ die 12. Martii 1626.

Wilh.

poris formæ mentis reſpondit. Ex omnibus ejus dictis & geſtis eluxit gravitas; tanto Principe digna, qui tot inter magnates jura diſpenſat; qui tot Principatuum, Comitatuum, Dynaſtiarum, Dominiorum totius Germaniæ poſſeſſiones, ad Themidis ſeveræ leges, æqua lance diſtribuit.

§. XXXIII.

Sepultura.

Wilhelmus ſepultus eſt in crypta Marchionum Collegiatæ Badenſis. Hæc A. 1754. cum aperiretur, occurrit ſarcophagus, in quo jacet Wilhelmus; veſtitu Hiſpanico & aurei velleris torque ornatus. Nummus adjectus, cujus una pars Badenſium repræſentat inſignia, pars altera annum mortis deſignat. (f)

Uxor & liberi prioris matrim.

Fœcundis matrimoniis duobus felix fuit Wilhelmus. Primo conjugem ſibi aſcivit A. 1624. ex Comitum Hohenzollerenſium ſtirpe, Catharinam Urſulam, Joannis Georgii filiam. Numoroſa inde prodiit ſoboles, quam ſecundum ordinem nativitatis expono.

(f) Guilielm. D. G. Mar. Bad. & Hac. Landg. in Sauſ. Gr. in Sp. & Eb. D. in R. B. L. & M. In averſa nummi parte legitur:

Mortuus
Anno 1677.
die XXII. Maji
ætatis ſuæ
LXXXIIII.

1. Ferdinandus Maximilianus natus die 23. Sept. 1625.

2. Leopoldus Wilhelmus die 16. Sept. 1626.

3. Philippus Sigismundus die 25. Aug. 1627. Melitenſi ordini adſcriptus, in prœlio ad Orbitellum A. 1646. inter Gallos & Hiſpanos commiſſo, in ætatis flore extinctus eſt.

4. Wilhelmus Chriſtophorus die 12. Octobris 1628. in Colonienſi Eccleſia A. 1641. in Conſtantienſi A. 1645. Canonicatus accepit. Rectoratus in Weyersheim ad altam turrim in Alſatia A. 1646. ei delatus. Sed A. 1652. die 25. Aug. fortuita ſclopeti exploſione vitam amiſit.

5. Hermannus gemino partu, eodem, quo Wilhelmus Chriſtophorus, anno & die, lucem aſpexit.

6. Bernhardus A. 1629. die 22. Octobris Romæ, quo inſtituit iter, A. 1649. deceſſit.

7. Iſabella Eugenia Clara, nata die 14. Novembris A. 1630. poſt biennium obiit.

8. Catharina Franciſca, die 19. Novembris A. 1631. Veſontione monaſterium ingreſſa eſt.

9. Claudia A. 1633. die 15. Maji infans deceſſit.

10. Henrica & Anna gemellæ, die 12. Julii A. 1634. in lucem editæ. Illa expiravit in cunis; hæc longiſſime vitam pro-

Digitized by Google

duxit; quam A. 1708. die 31. Martii commutavit cum morte. Sepulta eſt Badæ in choro Eccleſiæ Collegiatæ, ubi in eadem cum patre crypta requieſcit. (g).

Nati poſt hos Maria, Franciſcus & Maria Juliana infantes perierunt. Mater in puerperio quo hanc peperit, A. 1648. mortua eſt.

§. XXXIV.

Secundas nuptias Wilhelmus A. 1648. cum Maria Magdalena, Oetingenſi Comite, Erneſti filia, inivit, cui ab aula Cæſarea, ubi in Imperatricis Comitatu diu vixerat, vicies mille florenorum promiſſa eſt dos. Ex hoc matrimonio ſequentes liberi prodierunt: Liberi ex poſteriori matrim.

1. Philippus Wilhelmus natus A. 1652. intra triennium morte abreptus.

2. Maria Anna Wilhelmina, in lucem edita A. 1655. die 8. Sept.

(g) Reliquiæ ejus A. 1754. deteſtæ; quas nummus oſtendit argenteus cum inſcriptione: „ Anna Marchioniſſa Badenſ. & Hochberg. Sereniſ. March. „ Wilhelmi. S. C. M. Spiræ Cameral. Judicis & Catharinæ Urſulæ Com. de „ Hohenzollern filia Princeps nata 12. Jul. 1634. denata 31. Mart. 1708. Badæ & 2. Apr. ibid. apud ſuum genitorem ſepulta eſt. Requieſcat in Pace. Amen. „

Digitized by Google

Ferdinandum Auguſtum Lobkowizium Principem Ducemque Saganenſem A. 1680. nacta maritum.

3. Carolus Bernhardus A. 1657. die 14. Januarii natus, in legione Cæſarea Portienſi Locum tenentis Præfecti (*Obriſt-Lieutenant*) munere decoratus A. 1678. in prœlio ad Rhinfeldam occidit. (*h*)

(*h*) IMHOFIUS in *Notitia Procerum Imperii* Lib. IV. Cap. 8. §. 19. eum fortiſſime pugnantem, incerto periiſſe fato ſcribit; nec vivum, nec mortuum poſt pugnam repertum. Unde alii igne, qui ponti ſubjectus eſt abſumtum, alii undis hauſtum fuiſſe crediderunt.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT VII.

FERDINANDUS MAXIMILIANUS.

Wilhelmi Filius.

§. I.

Primogenitus Wilhelmi Marchionis filius, Ferdinandus Maximilianus, die 23. Sept. A. 1625. medias inter belli Germanici flammas lucem aſpexit Badæ. Easdem inter turbas Badenſibus terris cum patre nunc expulſus, nunc redditus, pueritiam & adoleſcentiam ſpem inter & metum transegit. Bella, quæ illum & patriam tamdiu vexaverunt, perhorreſcens, incubuit literis, coluitque literatos. Pacis amans, auctoritate ſua lites aliorum non infrequenter compoſuit. Ferdinandi initia.

Irruentibus Svecis A. 1631. ex Bada-Badenſibus plures(a) bona mobilia Argentinam transtulerunt, quæ neſcio quam ob

(a) Hos inter Henricus Carolus Orscelarius, Staufenbergenſis Præfectus & Badenſis Collegii Sodales Jeſu.

Digitized by Google

FERD. MAXIM.

cauſam fiſco Senatus addixit. Longo poſt tempore Bavaricum regimen, quod Heidelbergæ ſedebat, Argentinenſium, in Rheno navigantium, navibus, Palatinatum transeuntibus, A. 1647. manus injecit. Ferdinandus noſter, Civitatis Argentinenſis amicus, diſſidentium conciliavit animos, eodemque anno Badæ rem inter partes transegit. In compenſationem rerum diſtractarum certa pecuniæ ſumma ab Argentinenſibus ſoluta eſt. (*b*) Hæc durantibus belli tricennalis turbis, quas Osnabrugenſis Pax tandem ſedavit.

§. II.

Matrim. cum Principe Carin.

Vulnera, Marchiæ Badenſi inflicta, pater & filius Ferdinandus, vivo patre, quum paulatim ſanaſſent, vigeſimo octavo ætatis anno de matrimonio cogitare cœpit. Miſſus ab eo & a patre Wilhelmo in Galliam Krebſius, Cancellarius & a conſiliis ſtatus, ut apud Ludovicum XIV. Ludovicam Chriſtinam, Carinianam Principem, peteret pro Ferdinando uxorem. Hæc viginti ſeptem annorum Princeps filia erat Thomæ Franciſci de Sabaudia, Principis Cariniani, multis & magnis bellorum, nunc pro Hiſpanis, nunc pro Gallis geſtorum, facinoribus clari & Mariæ Borboniæ. (*c*) Neptis erat Caroli Emanuelis, Ducis Sabau-

(*b*) Transactio Ferdinandi ſigillo munita, extat in Tabulario Civitatis Argent.

(*c*) Maria Borbonia Caroli Comitis Sueſſionenſis filia fuit; neptis Ludovici Borbonii, Principis Condei, qui frater fuerat Antonii Regis Navarræ.

Digitized by Google

Ferd. Maxim.

diæ, Cyprique Regis. (*d*) Krebſius nudo capite Principis ſui mandata Galliæ Regi expoſuit, qui ſtans ſtantem & ipſe non tectus legatum, audivit, annuitque petito. (*e*)

Wilhelmus hoc filii conjugio gloriæ Badenſis Domus proſpexit. Hoc enim vinculo & Borboniam regiam & Sabaudicam Ducalem Domos ſibi affinitate conjunxit, atque adeo Ludovici XIV. qui Wilhelmi virtutes amaverat, ſibi conciliavit favorem. Alſatia Auſtriaca, Monaſterienſi Pace nuper adquiſita, Regem hunc Badenſibus terris vicinum conſtituit. Vinculo cum Sabaudica domo evenit, ut Ferdinandi noſtri filius Ludovicus cum Eugenio Sabaudico Principe, Thomæ nepote, poſt decennium nato, & ipſe Thomæ per filiam nepos, ſanguine jungeretur.

§. III.

Pacta dotalia Galliæ Rege & Regina, Regis matre, præſentibus, die 15. Martii A. 1653. confecta ſunt. Pater ſponſæ Pacta dotalia.

Vide San-Marthanos Fratres in opere, cujus rubrum: *Hiſtoire Genealogique de la maiſon de France* Tom. II. p. 204. Imhoffius in libro, quo Illuſtrium familiarum in Gallia Genealogias exponit, Claſſ. I. Tab. 17. & 19.

(*d*) Imhoff. *loc. alleg.* Tab. 32. pag. 75.

(*e*) Wiquefort *l'Ambaſſadeur* Part. I. Lib. I. Sect. 4. pag. 40. ubi obſervat, Krebſium, primi ordinis legati charactere conſpicuum, nonniſi ſecundi

Ferd. Maxim.

ſexcenta millia librarum Turonenſium, certis temporibus eidem ſolvenda, dotis loco, promiſit. Rex centum millia librarum adjecit. Paternæ maternæque hereditati Ludovica renunciavit; ſervato tantum ſuccedendi jure, reliqui ſi deſcendentes perierint. Triginta millia librarum Turonenſium quotannis ex Dynaſtia Malbergæ, ex Comitatu Eberſteinenſi, aliisque Marchiæ ditioninibus ſolvenda, ut & habitatio in Caſtro Malberg, dotalitii nomine aſſignata ſunt Ludovicæ. (*f*) Ferdinandus III. Imp. in matrimonium conſenſit.

Nuptiæ.

Anno ſequente Lutetiæ Pariſiorum celebratæ ſunt nuptiæ. Non diuturna fuit Ferdinandi noſtri in Aula Gallica commoratio. Conjux amica, ſed non amica ſocrus. (*g*) Ferdinandus rediit Badam ſolus, conjuge relicta Pariſiis, quam deinceps reliquo vitæ tempore non vidit; ſedecim per annos ut viduus vivens.

Thomæ, ſocero ſuo, qui Gallici exercitus ductor A. 1656. die 22. Januarii Taurini deceſſit, die 30. Martii exequias Badæ celebravit. (*h*)

ordinis accepiſſe honores, more, quo Germanorum Principum legatos Galliæ reges excipiunt.

(*f*) Pacta hæc dotalia exhibet Guichenonius *Preuves de l'Hiſtoire Genealogique de la Royale maiſon de Savoye* pag. 613. Lunig *Reichs-Archiv* Parte ſpeciali Fortſetzung der anderen Continuation pag. 957.

(*g*) Imhoff. *Notitia Procerum* Lib. IV. Cap. VIII. §. 16.

(*h*) Guichenon. *Libro alleg.* pag. 1041.

Ferd. Maxim.

§. IV.

Cura in filium.

Filium, trimeſtrem quem abſtulit conjugi, tanta cum cura & ſollicitudine educavit, ut adoleſcentem Principes ſenes mirarentur. Heraldicæ artis & hiſtoriarum ſtudioſus Parens novum Domus ſuæ gentilitium ſcutum excogitavit, novas teſſeras addens; quibus præcipuas Regum Principumque Europæ cum Badenſibus cognationes, affinitates, edoceret filium, eumque ad virtutum exercendarum gloriam tanto magis inflammaret. Clypeum in quatuor regiones diſtinxit, quarum duæ inferiores referebant areolas Badenſes, at ſuperiores, præter Spanheimenſes teſſellas, Legionenſia, Caſtellana, Sicula, Neapolitana, Hieroſolymitana, Svecicaque oſtentabant inſignia. Svecicam teſſeram a Cæcilia, Guſtavi regis filia, quæ proavia ejus fuerat, repetiit. Hieroſolymitanam adjecit ob Mariam Sabaudicam, Philippi, Marchionum Hachberga-Sauſenbergenſium poſtremi, uxorem; cujus pater, Ludovicus Sabaudiæ Dux, in Cypri regnum jus quoque acquiſiverat; (*i*) Sicula & Neapolitana a Marchione Badenſi, Auſtriæ Duce, qui cum Conradino Sveviæ Duce & Neapolitano rege, conſobrino ſuo Neapoli A. 1268. capite plexus

(*i*) Ludovicus matrimonium inivit cum Anna de Luſignan, filia Jani Regis Cypri.

FERD. MAXIM.

eſt, derivavit. Legionenſia & Caſtellana, a Catharina Hiſpanica, Ludovici Wilhelmi proavia, Duci Sabaudiæ nupta, deſumſit. (*k*)

§. V.

Negotia ejus politica.

Media in pace Wilhelmus, pater Ferdinandi, ad vicinorum exemplum, A. 1663. novum mercibus, Marchiam tranſituris, impoſuerat vectigal, (*l*) quod Argentinenſes ſolvere recuſarunt. Senatus, apud Marchionem fruſtra intercedens, ſuis prohibuit civibus, nundinas ne frequentarent Badenſes. Sed Ferdinandi Maximiliani interceſſione Argentinenſibus A. 1665. vectigal remiſſum. (*m*)

Galli A. 1664. copias contra Turcas ducturi, ſemel iterumque cum mutaſſent iter, nata eſt Ferdinando ſuſpicio, Mazarinium periculoſa Alſatiæ & vicinorum Principum libertati agitare conſilia. Unde de fœdere adverſus Gallos inter Archiducem, Helvetios, atque Badenſes ineundo, perpetuoque milite ſuſtentando, ad Argentinenſes perſcripſit, ſuumque cum illis communicavit propoſitum. At Gallicis copiis per Germaniam ad Hungaros profectis, diſparuit ſuſpicio.

(*k*) Scutum Ferdinandeum hoc in aula Badenſi ſe vidiſſe teſtatur SPENER in *Hiſtoria Inſignium* Lib. II. Cap. IV. §. 14.

(*l*) Pfundtzoll, quatuor denariorum in ſingulos florenos.

(*m*) Acta hujus rei in Tabulario Argent. ſervantur.

Digitized by Google

Ferd. Maxim.

Triennio poſt, irruentibus in Belgium Hiſpanicum Gallis, Ferdinandus noſter, de Germanica tranquillitate ſollicitus, Auſtriacam Domum, intuitu ditionum ejus in Briſgovia & Svevia, Palatinos, Haſſos, Brunſvicenſes, Wirtenbergicum, Badenſes, Waldeckium, ut & Ortenaviæ Nobiles, immediatos quos vocant, in defenſorium fœdus compellere ſtuduit; eumque in finem Fridium, Civitatis Argentinenſis Syndicum, A. 1667. Badam evocavit menſe Decembri, ut cum eo & Plittersdorfio Barone, qui Leopoldi Cæſaris, hac de re mandata acceperat, ceterisque vicinorum Principum legatis, undiquaque confluentibus Badam, conſilia in commune conferret. Argentinenſes die 24. Decembris fœderi, quod in nullius injuriam vergat, ſe acceſſuros profeſſi ſunt. Ferdinandum tamen noſtrum monuerunt, ut plurium ſociorum acceſſione fœdus augeret & Brunſvicenſem inprimis atque Haſſiacam Domos in conſilii partes vocaret. Ferdinandus brevi poſt iter Heidelbergam ſuſcepit, ut eadem de re cum Electore Palatino tractaret. Sed inſecuta mox A. 1668. Pax Aquisgranenſis Germanicos Proceres belli metu exemit.

§. VI.

Regnaverat illo tempore apud Polonos Caſimirus IV. debilis ingenii Princeps, adverſitatum impatiens; ex Jeſuita Cardinalis, ex Cardinali Rex. Coſacica & Svecica bella, infelicibus fatis geſta, & inteſtinæ regni turbæ animum ejus ita frege- Candidatus ſolii Polon.

FERD. MAXIM.

rant, ut de regno abdicando non ſemel cogitans, conſilium denique A. 1668. exequeretur; relicto Poloniæ ſolio, in Galliam tranſiens, ubi quinquennio poſt Niverni deceſſit. Jam aliquot annis ante abdicationem ejus de fratre Ferdinandi juniore, in ſpem ſolii Polonici Bada evocando, Varſaviæ deliberatum, ut in Hermanno docebimus. Spes, quæ regnante Caſimiro evanuit, eodem abdicante apud Badenſes revixit; ita tamen, ut non de Hermanno, ſed de Ferdinando noſtro, in regem promovendo, cogitaretur. (*n*) Commune Caſimirum inter atque Badenſes ſanguinis Svecici vinculum per Ceciliam, Guſtavi I. regis filiam, Poloni nondum erant obliti. Sed res aliter cecidit. Ex regio Jagellonidarum ſanguine Michaël ad Polonicum promotus eſt ſolium. Natio Regem ſibi dedit Piaſtum.

§. VII.

Mors violenta.

Brevi poſt fortuito & ſubito caſu Ferdinandus patri, filio Marchiæque ereptus eſt; quam ille ſuo nomine nunquam; nomine patris rexerat ſæpe; quoties nempe hic aberat, ut Cameræ Imperii, juris dicendi cauſa, Spiræ judex præſideret. Periit anno quadrageſimo quarto ætatis, Aeræ vulgaris 1669. Electorem Palatinum Ferdinandus cum Wilhelmo patre, Leopoldo fratre & filio ſuo Ludovico inviſerat. Inſtituta venatio. Elector hoſpi-

(*n*) SPENER *Sylloge Genealogico-Hiſtorica* pag. 619.

Digitized by Google

Ferd. Maxim.

hoſpites eadem ſecum rheda quum extra portam Heidelbergenſem duceret, infauſta exploſione ſclopeti tam graviter vulneratus fuit Ferdinandus, ut brevi poſt die 4. Novembris ex vulnere decederet. (o) Avus & nepos cum magna Principum ac legatorum pompa triſtiſſimum ei funus duxerunt.

Exanime corpus Eccleſiæ Collegiatæ Badenſi majorumque ſepulcro illatum eſt. Cor, ſejunctum a corpore, in Parthenone Lucidæ Vallis; viſcera in Collegii Patrum Societatis Jeſu Eccleſia recondita ſunt. Sepultura.

Singulare Wilhelminæ familiæ fatum. Frater Wilhelmi, Albertus Carolus A. 1626. atque duo filii ejus, Wilhelmus Chriſtophorus A. 1652. & Ferdinandus Maximilianus, de quo agimus, quadraginta trium annorum ſpatio ſclopetorum exploſionibus fortuitis, adeoque patruus & duo ejus nepotes ex fratre ſimili mortis genere violento perierunt.

§. VIII.

Infortunata tanti Principis mors, Marchiæ tanto magis lugenda, quod filius vera fuerat magni patris, tum adhuc vivi, imago; moderatione, iuſtitia, ceteriſque moribus, qui patrem, Character.

Tom. III. T

(o) *Diarium Europ.* Part. XXI. pag. 57. Ludolfi *Schaubühne* Tom. IV. pag. 634.

FERD. MAXIM.

aliquando moriturum, ex aſſe reddidiſſet. Patrem lugentem non pingimus. Facies ejus tegenda eſt velo. Ferdinandus præceps in morte, immortalis in filio; quem non Marchiæ modo ſuæ, ſed toti Europæ, orbique Chriſtiano heroicis facinoribus, admirandum reliquit.

§. IX.

Uxor & filius.

Ludovica Chriſtina, Ferdinandi Maximiliani conjux, nata A.1627. maritata 1654. mortua 1689. die 8. Julii Lutetiæ Pariſiorum, ubi nata & viginti per annos vidua vixit. Nulla potuit ratione moveri, in Germania ut jungeret maritum; Francicæ Aulæ irretita deliciis; quam tamen non ſemper adire auſa eſt. Monpenſeria, quæ & ipſa tum in Aula hac vixit, magni animi & ingenii Princeps, Ludovicam aliquando Aula excluſam fuiſſe, in *Commentariis* memorat. (*p*) Cum ea Ferdinandus unicum filium genuit LUDOVICUM WILHELMUM, qui dein avo ſucceſſit.

(*p*) *Memoires de Mademoiſelle de Monpenſier* Tom. VII. pag. 2.


Leop. Wilh.

CAPUT VIII.

LEOPOLDUS WILHELMUS.

Wilhelmi Filius.

§. I.



Leopoldus Wilhelmus, A. 1626. qui aſpexerat lucem, adultiori ætate Aulæ Imperiali conſtanter adhæſit. Conſiliis bellicis Vindobonæ admotus, Leopoldi Bohemiæ atque Hungariæ Regis, Cuſtodum præfectus, (*a*) eundem in Regem Romanorum electum & coronandum A. 1658. ſecutus eſt Francofurtum. (*b*) Leopoldi initia.

Brevi poſt Pomeranicæ interfuit expeditioni; quam Suchius Comes, Auſtriacorum Dux, adverſus Carolum Guſtavum, Sveciæ Regem, perpetuis Poloniam Daniamque bellis infeſtan-

(*a*) *Kriegs-Rath, Leibguardie-Hatſchier-Hauptmann.*

(*b*) *Theatrum Europ.* Tom. VIII. pag. 325.

tem, A. 1659. ſuſcepit. (c) Verum extincto in Hafnienſi obſidione Carolo Guſtavo, Olivenſis Pax A. 1660. hoc bellum finivit.

§. II.

Bellum Tranſylvan.

Tranſylvania miſeris tum agitata civilibus turbis, quarum auctor Ragoczius, inquieti animi Princeps, qui Polonico bello Turcarum in ſe concitaverat odium. Barczajus, Turcarum opibus adjutus, Ragoczium evertit, ſed poſt breve Imperium ipſe a Jano Keminio, Ragoczianæ factionis capite, principatu & vita privatus eſt. Cæſar partes Keminii contra Turcas ſuſcepit, quod periculum eſſet, ne Varadino & Claudiopoli, Hungariæ propugnaculis amiſſis, tota pedetentim Tranſylvania in Turcarum poteſtatem tranſiret. Miſſus igitur a Cæſare A. 1661. in Tranſylvaniam exercitus. Leopoldus Wilhelmus noſter una cum Starenbergio Comite Campi Mareſchallus Locumtenens a Cæſare nominatus eſt, ut ſub Montecuculio, Cæſareanorum Duce, copiis pedeſtribus præeſſet. (d) Vix ad Levam oppidum proceſſerat exercitus, cum miſſi a Keminio nuncii iter ut acceleraret rogarent. Hunc enim omni Tranſylvania pulſum in Hungariam conceſſiſſe Tibiſcum. Halyum Budenſem præfectum cum ingenti exercitu

(c) SPENER in *Sylloge Genealogico-Hiſtor.* pag. 629. Expeditionem hanc deſcribit PUFENDORFIUS *Rerum Brandeburg.* Lib. VIII. §. 28. ſqq. & *Commentarior. de rebus Caroli Guſtavi* Lib. VI. §. 67.

(d) *Diarium Europ.* Part. VII. pag. 366.

ejus veſtigiis inhærere. Actum de ſua & de Tranſylvanorum ſalute, niſi quantocyus ſuccurrerent Cæſareanorum auxilia. Montecuculius tum magnis itineribus cum equitatu prægreſſus, reliquum exercitum Leopoldi noſtri curæ permiſit; quo ad Zattmarinum Hungariæ ſub finem Auguſti aſſumto, Tranſylvaniam una cum Keminio ingreſſus eſt. Halyus, novum Keminio æmulum cum oppoſuiſſet Abaſſium, vitandi prœlii cauſa Vaſarhelinum in intimam Tranſylvaniam abiit. Cæſareani partim inopia commeatuum, partim morbis afflicti, nulla re admodum memorabili geſta, in Hungariam redierunt. (*e*)

Anno ſequente ſegniter adminiſtratum eſt bellum, quod de Pace Temeswariæ ageretur cum Turcis, ſed A. 1663. abruptis illis tractatibus, majori ardore efferbuit bellum.

§. III.

Leopoldus Dux exercitus Imperii.

Turcæ proſpero rerum ſuarum cum uterentur ſucceſſu, Leopoldus Imperator Ordinum Imperii auxilia, coactis Ratisbonæ Comitiis, imploravit. Res in annum ſequentem protracta. Tum vero decretus Cæſari menſe Martio exercitus, cui ſupremus belli Dux Leopoldus noſter præfectus eſt. (*f*) Aſ-

T 3

(*e*) Wagnerus in *Hiſtoria Leopoldi Magni Imp.* Part. I. pag. 94. ſqq.

(*f*) Diarium Europ. Part. XI. p. 124. Londorp. *Act. Publ.* Tom. IX. pag. 251.

LEOP. WILH.

ſignatum ei 1500. florenorum in ſingulos menſes ſtipendium. Cæſar Diplomate Lintii die 24. Mart. dato, exercituum Imperialium Ducibus, omnibusque Imperio & Auſtriacæ Domui ſubjectis, injunxit, ut exercitus Imperii, in Hungaria militaturi, Leopoldum agnoſcerent Ducem. (*g*) Hic Georgium Fridericum, Waldeccii Comitem, Ordinum decreto accepit Legatum. Equitatus Ulrico Wirtenbergæ Duci commiſſus; ſed peditatus & rei tormentariæ cura Franciſco Fuggero Comiti delata. Johannes Adolphus, Holſatiæ Dux, & Guſtavus Adolphus Durlacenſis Marchio, Friderici VI. frater, ſupremi Vigiliarum Magiſtri conſtituti ſunt. Ipſe Fridericus VI. una cum Epiſcopo Monaſterienſi directorium Senatus bellici geſſit. (*h*) Leopoldus Wilhelmus de conſcribendis celeriter copiis, de maturando exercitus in Hungariam itinere, de belli feliciter ineundi ac proſequendi ratione conſilia atque animi ſui ſenſa Ordinibus in Comitiis Ratisbonæ, menſe Martio, A. 1664. propoſuit; quæ maximam partem approbavit Imperium. (*i*)

(*g*) LUNIGII *Reichs-Archiv* Parte ſpeciali *Fortſetzung der andern Continuation IVte Abtheilung, dritter Abſatz* pag. 960. LONDORP. *Act. Publ.* Tom. IX. pag. 266.

(*h*) Vid. *Receſſ. Imp.* Tom. IV. pag. 10. LONDORP. *loc. alleg.*

(*i*) LONDORP. Tom. IX. pag. 248. Copiarum, adverſus Turcas ductarum, numerum exponit RICAULT. *loc. alleg.* pag. 64.

Paulo poſt idem ad Comitia perſcripſit defectus, quos in luſtratione exercitus Imperii in ſingulorum Circulorum copiis invenit, quibus ut afferret remedium, æs ſe contraxiſſe alienum. (*k*)

§. I V.

Proelium a S. Gotthard.

Leopoldus denique in Hungariam profectus, trajecta ſub finem Junii Muhra, cum Montecuculio, ſupremo Cæſareanorum Duce, prope Rackerſpurgum copias conjunxit; quo & reliquæ fœderatorum copiæ properarunt. Turcæ, Muhra relicta, contenderunt ad Rabam; cujus tranſitus aliquoties a fœderatis prohibitus. Denique ad Fanum S. Gotthardi cum inſigni agmine tranſierunt; eo ipſo loco, ubi Leopoldus Marchio cum legionibus Imperii tum habuerat caſtra. Milites ejus, recens conſcripti & rudes in armis, fame & itineribus confecti, primo ſtatim impetu diſſipati a Turcis, qui ad numerum quindecim millium armatorum aucti, vallo & foſſa ſe munire cœperunt.

In hoc rerum diſcrimine Fœderatorum duces, habito conſilio, cum omnibus copiis aggredi Turcas ſtatuerunt, antequam univerſus eorum trajiceret exercitus. Montecuculius ſiniſtrum; Colinius cum Gallis dextrum Turcarum aggreſſi ſunt cornu. Leopoldus Badenſis eos a fronte adoritur; cæduntur Turcæ; prœlio ſuperſtites flumen abſorbet. Plena ut eſſet Chriſtianorum victoria, & illa duo Turcarum agmina, quæ ſuperius ac inferius

(*k*) Londorp. *loco alleg.* pag. 268.

Digitized by Google

LEOP. WILH.

flumen tranſiverant, ad internecionem deleta ſunt. Cruenta hæc San-Gothardiana pugna Calendis Auguſti continuis octo horis pugnata eſt. Septendecim Turcarum millia periiſſe dicuntur. Signa & tormenta bellica magno numero in fœderatorum poteſtatem venerunt. Præcipuæ nobilitatis viri utrinque deſiderati ſunt non pauci. (*l*)

§. V.

Geſta poſt prœlium.

Leopoldus noſter febre maligna correptus, biduo poſt prœlium Furſtenfeldam receſſit, unde literis ad Comitia ſcriptis, omnium, quæ evenerunt, Ordines reddidit certiores. (*m*) Probaverant ei virtutem ſuam Georgius Fridericus, Comes Waldeccius, Johannes Adolphus, Dux Holſatiæ, Guſtavus Adolphus Bada-Durlacenſis, ſub quo tres equi occiſi ſunt.

Leopoldo adverſa valetudine laborante, exercitum Imperii duxit Waldeccius Comes, quum vix quinque armatorum millia ad bellum ſupereſſent. (*n*) Eluctatus autem e morbo, Furſtenfelda

(*l*) Late prœlium hoc deſcribit MONTECUCULI *Memoires* pag. 400. RICAULT *Hiſtoire de l'Empire Ottoman loc. cit.* pag. 96. ſeq. & WAGNERUS in *Hiſtoria Leopoldi Imperat.* Part. I. pag. 159. ſqq.

(*m*) Literæ extant in *Diario Europæo* Part. XI. pag. 423. & LONDORP. *Act. Publ.* Tom. IX. pag. 274.

(*n*) LONDORP. *loc. alleg.* pag. 278.

Leop. Wilh.

felda ſe contulit Vindobonam, ubi de reſtituenda apud Hungaros re bellica Imperii cum Friderico VI. Marchione Durlacenſi & Bernhardo Monaſterienſi Epiſcopo communicavit conſilia. Waldeccio tamen mandaverat Leopoldus, ubi nova imminuerit pugna, ut ſine mora ei mitteret nuntium, quo ipſe ad exercitum ſe ocius conferret. (o) Verum inter hæc compoſitæ ſunt (1664.) cum Turcis vicennales induciæ. (p) Rectores & Duces exercitus Hungarici ab Imperii Statibus die 21. Octobris dimiſſi ſunt. (q) Leopoldo Wilhelmo redditæ impenſæ. (r)

§. VI.

Reliqua geſta.

Ille tum Vindobona in Hungariam abiit, ut diſcedentibus fœderatorum ducibus valediceret. Ex Hungaria Vindobonam redux, Ratisbonam ſe contulit, ut depoſito ſummi Ducis munere, de rebus, in magiſtratu ſuo geſtis, Ordines doceret. Legio ejus ex Hungaria in Luxenburgicas terras profecta eſt, Hiſpanica ut mereret ſtipendia. (s)

(o) Ibid. pag. 279.

(p) Ricault *loc. cit.* pag. 111. ſeq.

(q) Londorp. *loco alleg.* pag. 289.

(r) Ibidem pag. 293.

(s) *Diarium Europ.* Part. XII. pag. 5. & 38.

Leop. Wilh.

Poſt hæc Leopoldus in Aula Vindobonenſi quadriennium transegit. Warasdinenſem præfecturam (*t*) A. 1669. poſt Trautmannsdorffii Comitis mortem ei Cæſar commiſit. Novum hoc munus ut auſpicaretur, eodem anno, relicta Vindobona, in Hungariam abiit. Satellitii præfectura, (*u*) quam hucusqne geſſerat, Wallenſteinio Comiti, Franciſco Auguſtino collocata. (*x*)

§. VII.

Obitus. Uxores & liberi.

Obiit Warasdinii, ipſis Calendis Martiis, A. 1671. Prima ejus uxor fuerat Sibylla Catharina, Comitiſſa de Milleſimo & Carreto, (*y*) Comitis Czerninii de Chudenicz, (*z*) vidua, cum qua matrimonium A. 1659. inivit Leopoldus. Hæc Caſtrum & Dynaſtiam Loboſizii in Circulo Prachenſi Bohemiæ, liberum Czerniniæ Gentis allodium, quod a priori marito acce-

(*t*) *Das Warasdiniſche Generalat.*

(*u*) *Hatſchier Hauptmann.*

(*x*) *Diarium Europ.* Part. XX. pag. 421. & 467.

(*y*) Comites de Milleſimo Carretanos, qui ex Italia habuerunt originem, inter nobiliſſimas Bohemiæ ſtirpes collocat Balbinus *Miſcellaneor. Regni Bohem.* Decad. II. Lib. II. Part. III. lit. f.

(*z*) Czerninios a Wladislai II. Bohemiæ Regis, qui ſeculo XII. vixit, fratre Henrico derivat idem Balbinus in *Epitome Rerum Bohemicarum* Lib. III. Cap. IX. pag. 219.

Digitized by Google

Leop Wilh.

perat, per pacta dotalia Domui Badenſi reliquit, (*a*) quæ eam hodieque obtinet ut allodium Badenſe. Sterile tamen fuit conjugium. Defuncta A. 1664. Sibylla, poſt biennium ſecundas nuptias Leopoldus inivit cum Maria Franciſca, (*b*) Egonis Comitis Fürſtenbergici filia, Wolfſgangi Wilhelmi, Comitis Palatini Neoburgici, vidua, Ex ea ſequentes prodierunt liberi, qui ſine prole omnes defuncti ſunt.

1. Gemelli Principes die 20. Jan. A. 1667. nati, quorum alter mox e vivis exceſſit. Alter, cui Imperatorem & Imperatricem patrinum & matrinam Leopoldus pater elegerat, (*c*) Leopoldi Wilhelmi nomen accepit. Hic linguæ vitio laborans & fere mutus, in Bohemicis Loboſicii terris vixit & die 11. Aprilis A. 1716. deceſſit.
2. Carolus Fridericus Ferdinandus natus A. 1668. obiit 14. Septembr. A. 1680.
3. Catharina Franciſca,
4. Henrica &
5. Anna, deceſſerunt infantes.

(*a*) Zechii *Europæiſcher Herold* Tom. I. pag. 504. Hieronymus Dicelius in *Geographia & Genealogia Imp.* pag. 775.

(*b*) Nata erat A. 1633. Wolffgangus Wilhelmus A. 1651. deceſſerat.

(*c*) *Diarium Europ.* Tom. XVII. pag. 20.

Wilhelmus avus, ſuis ex Leopoldo Wilhelmo nepotibus, eorumque matri, Franciſcæ Mariæ, Fürſtenbergicæ, Malbergenſem Dynaſtiam & Eberſteinenſem Comitatum pro certa pecuniæ ſumma A. 1675. relinquere voluerat, ſed, intercedente Durlacenſi Domo, a propoſito Wilhelmus diſceſſit.

Digitized by Google

CAPUT IX.

HERMANNUS.

Wilhelmi Filius.

§. I.

Wilhelmus pater toga ſola; Hermannus filiorum quintus, toga & ſago illuſtris, in utroque ſtatu cum dignitate & gravitate nec mediocri cum fortuna verſatus eſt. Natus die 12. Oct. 1628. gemellus Wilhelmi Chriſtophori frater. Sacris deſtinatus, Colonienſis & Paderbornenſis Eccleſiarum Canonicus, literis Colonia Ubiorum ſcriptis, Gamanſium, Collegii Jeſuitici, a Wilhelmo Marchione patre ejus inſtituti, ſodalem, hortatus eſt, ut de origine Domus Badenſis Diatribam conſcriberet. Conſcripſit eam Gamanſius, atque Hermanno noſtro, protectori ſuo, dedicavit. (*a*)

Hermannus Eccleſiæ deſtinatus.

(*a*) Vide Introitum Tomi I. hujus Hiſtoriæ Badenſis.

Digitized by Google

§. II.

Canditatus folii Polonici.

Joannes Caſimirus Poloniæ Rex, Svecicæ Regum Lineæ apud Polonos poſtremus, liberis carens, ab uxore ſua, Maria Luiſa Gonzaga, Caroli Mantuæ Ducis filia, inductus eſt, ut Ludovici II. Condæi, ex Borbonio, Franciæ Regum ſanguine filium, Henricum Julium, octodecim annorum Principem, vivo ſibi ſucceſſorem, ab Ordinibus deſignandum, ſollicite expeteret. Reginæ animo id conſilii inſederat, ut Princeps, deſtinatus ſucceſſor, filiam Annæ, ſororis ſuæ, Eduardo, Palatino Principi nuptæ, duceret uxorem. Exploravit Senatorum animos Caſimirus. In Conventibus minoribus, qui Comitia præcedunt, & in ipſis Comitiis res fortiter agitata & ambitioſe commendata. Inexpectata propoſitio Ordinum mentes turbavit. Tum vero pro Hermanno Badenſi, vel ejus ex fratre nepote, Ludovico puero ſexenni. eligendo, pugnarunt permulti. Inter alia urgebant, Regis ſucceſſoris conditiones, (*b*) ab ipſo Caſimiro in Comitiis Warſaviæ die 6. Julii propoſitas, in Hermanno & Ludovico, Marchionibns concurrere. Eos a Cæcilia Svecica, Johannis Regis Sveciæ ſorore, Sigismundi, Poloniæ Regis, duorum præcedentium Regum patris, amita recto ordine deſcendere. Adeo-

(*b*) Conditiones has vide in LENGNICH *Geſchichte der Preuſſiſchen Lande unter der Regierung Johannis Caſimiri* pag. 276.

Digitized by Google

que poſt abdicationem Chriſtinæ & renunciationem Caſimiri Regis in Sveciæ regnum, pace Olivenſi factam, legitimos eſſe regni Svecici heredes. Hoc autem ut Poloniæ regno jungatur, non Reipublicæ tantum, ſed & Catholicæ multum intereſſe religionis. Badenſibus potentes Germaniæ Principes neceſſitudine junctos, non facile denegaturos ſubſidia militum, ubi illud flagitaverint publicæ rationes; utrumque Marchionem eſſe cœlibem, adeoque Ludovicam Mariam, Reginæ ex ſorore Anna (c) neptem, quam amaverat Regina, in matrimonium Hermanno Badenſi, vel Ludovico, ubi adoleverit, poſſe collocari. Addiderunt, Auſtriacam Domum electioni Badenſis, quem ipſe Pontifex, pluresque Germaniæ ac Italiæ Principes Ordinibus Poloniæ commendaverant, non fore contrariam. Denique Marchioninibus non deeſſe ſorores, vel conſanguineas, quæ ſtabiliendæ inter caput & membra concordiæ Magnatibus Poloniæ nubant. (d) Polonici ſolii ſpes induxit Hermannum, ut Eccleſiaſticum ſtatum cum militari commutaret. Verum enimvero res, tam contrariis agitata ſententiis, caruit ſucceſſu. Septennio poſt Rex regni pertæ-

(c) Anna hæc Caroli Mantuani Ducis filia, nupſerat Eduardo Comiti Palatino, fratri Caroli Ludovici Electoris.

(d) Politicum hoc ſcriptum extat inter *Acta Polonica*, *in Appendice Diarii Europæi* Part. VIII. pag. 211. Adi quoque Pufendorf. *Rer. Brandeb.* Lib. IX. §. 10.

Digitized by Google

ſus abdicavit ſe regno, unde Interregnum & electionis libertas, quam petebant Poloni.

§. III.

Ex Clerico miles.

Hermannus, induens ſagum, A. 1663. Burgundici Circuli copias in Hungariam contra Turcas deduxit, de quo bello jam actum. Biennio poſt grave periculum a Gallis imminuit Belgio. Marchio Caſtello-Rodericus, qui Caracenæ, in Luſitaniam evocato, in Belgii Hiſpanici præfectura ſucceſſerat, copias auxiliares quum petiiſſet a Cæſare, octo veteranorum millia in Belgium deducenda tradebantur Hermanno. Sed Ludovicus XIV. Galliæ Rex per Grammonvillium legatum Vindobonæ apud Cæſarem interceſſit, fœderisque Rhenani Principes permovit, ut ſubſidiariis Cæſaris militibus tranſitum denegarent. Impetrata tamen tria peditum millia, quibus Hermanni induſtria bis mille adjecti ſunt; quos copiarum præfecti, ſub calonum, famulorum & ſatellitum ſpecie ſecum duxerunt, qui omnes innoxio itinere appulerunt in Belgio. (*e*)

At A. 1667. res in eo cum eſſet, bellum Gallo-Hiſpanicum ut in flammas erumperet, Moguntinus & Colonienſis Electores, legationibus lites componere ſtuduerunt; ita quidem, ut urbibus aliquot Belgii Hiſpanici Electorum vel Principum cuſtodiæ

(*e*) WAGNERUS in *Hiſtoria Leopoldi Magni Imp.* Part. I. pag. 194.

Digitized by Google

diæ permiſſis, reduceretur concordia. In hoc negotio ſuam quoque operam impendit Hermannus, ſed irrito labore. (f) Bellum in flammas erupit. Galli facta in Hiſpanicum Belgium irruptione, multas urbes brevi in poteſtatem redegerunt.

§. IV.

Caſtello-Rodericus, viribus impar, externa ubique cum circumſpiceret auxilia, ad Fridericum Wilhelmum, Brandeburgicum Electorem, miſit Hermannum, qui eum cum Hiſpanis pertraheret in fœdus. Oſtendit Marchio, actum eſſe de Belgio, niſi aliorum Principum opibus ſubleventur Hiſpani. Hos pace Pyrenæa ſecuros, infeſtis Gallorum armis ante petitos, quam de ſociis ſibi proſpicere potuerint. In Hiſpanico conſilio reperiri magnates, qui Belgicas provincias oneroſas magis, quam proficuas, Gallo relinquendas exiſtimarent; ſed prævaluiſſe Domus Auſtriacæ & communem omnium utilitatem, quæ provincias has a dominatione Gallorum immunes eſſe velit. Cliviam hac ratione Electori tutam præſtari. Commune periculum communibus viribus propulſandum. Cæſarem, egregia quæque pollicitum, majori rem ardore geſturum, ubi Electorem in conſilii partes veniſſe

Acta cum Brandeburg.

Tom. III. X

(f) DIARIUM EUROPAEUM Part. XVI. Append. pag. 90. & ſeq. BOUCLIER *d'Etat & de Juſtice* Art. 1. pag. 24.

Digitized by Google

cognoverit. Cum Anglis, Gallis, Belgis diligenter de fœdere agi. Anglos tria militum millia ſubmiſiſſe ac Hiſpanorum cauſæ plurimum ſtudere. Belgas, quibus præ ceteris immineat periculum, miſſuros pecuniam, quod miles terreſtris fortitudinis ſit expers. Luneburgicum quoque a fœdere haud eſſe alienum. Elector cum eo XV. millium conficiat exercitum, aſſumptisque Hiſpanorum quinque millibus, per Limburgenſem ditionem, Metim verſus exercitum ducat, vel cum Cæſare has copias jungat. Hiſpanos pro ratione auxilii pecuniam Electori daturos.

§. V.

Electoris ad Marchionem reſponſio.

Elector habito ſuorum conſilio, Badenſi reſpondit, de irruptione Gallorum Belgiique periculo ſe pridem ſollicitum cum Belgis, Svecis, & nonnullis Germaniæ Principibus conſerere conſilia; cum Cæſare quoque, Belgis ac Luneburgicis de conſervandis Hiſpanorum provinciis ſe ſine mora acturum. Eſſe ſibi egregias copias, quas brevi augere poſſit, modo ab Hiſpanis ſuppeditetur pecunia. Sed de ſubſidiorum ratione & de præmio poſt bellum ſibi prius cavendum, quam tantæ rem molis aggrediatur.

Badenſis de pecunia nullam ſubeſſe difficultatem oſtendit, ſed honorem commodumque Electori poſt bellum præmii loco futurum. Petiit tamen ab Electore Badenſis, ut declararet aperte, num in fœdus cum Cæſare atque Hiſpano deſcendere velit.

Annuit Elector, modo ſuper ſubſidiis conveniat & ſecuritas ſibi adverſus Svecos præſtetur.

§. VI.

Fœdus ejus cum Galliis.

Accepto hoc reſponſo rediit Bruxellas Badenſis & brevi poſt literis ſignificavit Electori, devinctos ei ſummopere Hiſpanos, qui auxilium, quod ab Imperio expectant, magnanimitati atque exemplo ejus debituri ſint. Eos operam daturos, ut quamprimum cum ipſo tranſigant, talesque ineant rationes, quibus communis Hiſpaniæ & Electoris utilitas promoveatur. Hæſit tamen negotium, pecuniæ inopia quod laborarent Hiſpani. Blaſpielus, qui res Electoris apud Belgas curabat, moræ pertæſus, ſuggerente Badenſi, Mechliniam menſe Octobri ſe contulit, ut cum ipſo Caſtello-Roderico ſermones miſceret. Hic in conditiones, a Badenſi Marchione propoſitas, cum Blaſpielo convenit, ut nempe XV. militum millia ſubmittat Elector, eaque Hiſpanica comparentur alanturque pecunia. Præmium, finito bello, Electori promittitur. Sed & Svecos in belli ſocietatem trahendos Hiſpanus promiſit. Pactum hoc, quod absque ſpeciali mandato iniverat Blaſpielus, improbavit Elector, qui conſiliorum Hiſpanicorum lentorum peroſus, illo ipſo tempore cum Galliæ Rege fœdus contraxit, quo in præſenti bello nullius partes ſe amplexurum & in concilianda tantum inter Gallos & Hiſpanos pace

Herm.

operam collocaturum ſpopondit. Liſola in Aula Hiſpanica tum Cæſaris legatus, ingenue faſſus eſt, graviter ab Auſtriacis Hiſpaniſque peccatum, quod generoſa promiſſa, Badenſi Marchioni ab Electore facta, neglexerint, cauſamque neglectus diſſenſui inter Hiſpanicam & Cæſaream Aulas adſcripſit. (*g*)

Verum enimvero quam Fridericus Wilhelmus, Brandeburgicus Elector, deſeruerat cauſam, eam Sveci, Angli & Batavi omni ſtudio defendendam cenſuerunt Fœdus illud prognatum eſt triplex, cujus partus Pax Aquisgranenſis, quæ Gallos inter atque Hiſpanos quietem A. 1668. reſtituit.

§. VII.

Bellum Gallo-Belgicum.

Quadriennio poſt turbata hæc quies, quum Ludovicus XIV. Belgis fœderatis bellum inferret. Studia Europæ trahebantur in partes. Miſſo in Sveciam legato Cæſar de fœdere tractavit cum Rege. Nimis lente autem cum procederet res, Gallia denique modum invenit, quo in fœdus ſuum Svecos perduceret. Annua eis promiſſa ſunt ſubſidia, in bello hoc ſi manerent tranquilli; Cæſare vel Imperio bellum moventibus, ſocia Gallis arma conjungerent. Fœderis hujus culpam in Lobcovicium Principem, primarium Aulæ Cæſareæ adminiſtrum, conjecit Badenſis; pro-

(*g*) Pufendorf. *Rerum Brandeburgicar.* Lib. X. §. 30. ſq.

Herm.

ditorem appellans; quod in Gallos propenſior, falſis rationibus Cæſarem a Svecis averterit. (*h*)

Cæſar, icto cum Electore Brandeburgico fœdere, copias Batavis ſubmittit. Sed pertractis in ſocietatem quoque Hiſpanis, A. 1673. fortius bellum inſtaurat. Prodiit hinc XXX. millium exercitus, qui Montecuculio duce militavit ad Rhenum. Hermanno rei tormentariæ cura commiſſa eſt. (*i*) Montecuculius Egra, ubi convenerant copiæ, verſus Rhenum profectus, Turennium, Franconia pulſum, in Palatinatum rejecit, atque deinceps una cum Principe Arauſionenſi, obſidionem aggreſſus eſt Bonnæ; (*k*) qua capta exercitum in hiberna deduxit. Montecuculio Vindobonam profecto, Bournonvillius & Hermannus Marchio, exercitus Cæſareani curam agentes, hyemem Bonnæ tranſegerunt. (*l*)

§. VIII.

Pugna Holtzheim.

In Comitiis Ratisbonenſibus denique A. 1674. menſe Majo bellum adverſus Gallos decretum. Elector Brandeburgicus, qui

(*h*) Pufendorf. *loc. alleg.* Lib. XI. §. 35.

(*i*) Wagner. in *Hiſtor. Leopoldi Magni* Part. I. pag. 318. Müller *verwirrtes Europa* Part. V. pag. 119.

(*k*) Müller *loc. alleg.* pag. 144. Theatrum Europ. Tom. XI. pag. 343. Ramsay *Hiſtoire du Vicomte de Turenne* Lib. V. pag. 490.

(*l*) Müller pag. 169.

HERM.

anno præcedente pacem Voſſemenſem cum Gallis iniverat, nunc fœderatis acceſſit. Turennius ante adventum ejus ſummam rei tentaturus, trajecto Alſatiæ Inferioris flumine Bruſca, fœderatis ad Enshemium hærentibus, apud Holzhemium, duabus ab Argentorato leucis conſedit. Hos inter vicos die 24. Aug. pugnata eſt pugna. Sub Bournonvillio Hermannus noſter & Baruthinus Marchio dextrum cornu, in quo Cæſareæ, Monaſterienſes & Baruthinæ legiones erant, duxerunt; Lotharingiæ & Holſatiæ Duces cum Lotharingicis & Limburgenſibus copiis tenuerunt ſiniſtrum. Nox pugnantes diremit; utraque parte ſibi adſcribente victoriam. (*m*) Elector cum viginti Brandeburgicorum millibus poſt prœlium ſe fœderatis conjunxit. Sed diſſidia Ducum & prudentia Turennii fœderatorum intervertit conſilia; qui aliis minoribus prœliis, quibus Hermannus quoque interfuit, (*n*) ad Muhlhuſium, Turckhemiumque a Turennio exagitati, nulla re memorabili geſta, fine anni trans Rhenum regreſſi ſunt; infelicis expeditionis invidia in Bournonvillium rejecta. (*o*)

(*m*) THEATRUM EUROP. Tom. XI. pag. 519. WAGNER. *Hiſtor. Leopold.* Part. I. pag. 354. RAMSAY *Hiſtoire du Vicomte de Turenne* Lib. VI. p. 528. ſeq. *Memoires des deux dernieres Campagnes de Monſieur de Turenne en Allemagne* pag. 72.

(*n*) MÜLLER *verwirrtes Europa* Part. VI. pag. 455.

(*o*) PUFENDORFIUS & WAGNERUS *loc. alleg.* pag. 358.

§. IX.

Montecuculius anno ſequenti exercitum Germanicum duxit. Ille bellum in Alſatiam quoque translaturus, copias ſuas ad Oberkircham in Ortenavia collegit; ſed Belgicæ tardius advenerunt. Ad excipiendas eas Montecuculius cum exercitu, die 24. Maji Spiram verſus contendit, relicto ad defenſionem Briſgoviæ, Hermanno noſtro Marchione, qui aſſumtis Circuli Svevici copiis, Gallorum ad Briſacum motus obſervavit. (*p*) Turennius ut Cæſareanos præverteret, coacto celeriter exercitu, ad Achenhemium caſtra locavit, accitisque Briſaco navibus, uno infra Rhinaviam milliari, Vaubruno Duce pontem conſtruxit, belli theatrum ex Alſatia ut in Ortenaviam transferret. Hermannus quidem cum Cæſareanis & Svevicis copiis e Brisgovia ad Rhenum progreſſus eſt; Gallos prohibiturus ab opere. (*q*) Sed tanto cum ardore rem aggreſſus eſt Turennius, ut difficultatibus ſuperatis, ſexto die Junii Rhenum trajiciens, ad Wilſtadium Kintzingam inter & Schutteram amnes, caſtra metaretur. Offenburgum tamen, cui validum præſidium impoſuerat Marchio, miſſus a Turennio Vaubrunus fruſtra tentavit. (*r*) Expeditio A. 1675.

(*p*) Theatrum Europ. Tom. XI. pag. 667.

(*q*) Ibid. pag. 667.

(*r*) Ibid. pag. 668.

§. X.

Turennii obitus.

Montecuculius cum paullo ante ad Spiram Rhenum tranſiiſſet, accepto Turennii tranſitu, unde venerat redux, in transRhenana ripa propius hoſtem acceſſit. Varia utrimque conſilia mutuis Ducum artibus cum fuiſſent eluſa, Montecuculius denique Buhlam inter & Saſpacum, Turennius ad Gamshurſtum, Acheram verſus, uterque pugnandi cupidus, copias explicuere. Turennius, exuſto Saſpaco, prope cœmeterium ejus, loco opportuno, aliquantum declivi, conſedit. Ibi hoſtium exercitum, ab altera Saſpaci parte opportune quoque diſpoſitum, tubo ſpeculatus, tormenti ictu occubuit, exercitus ſui pater & dux. (s) Hermannus Badenſis prope tormenta, quibus præerat, verſatus, tormentarium interrogaſſe ſcribitur, an, quem eminus ipſi oſtendebat albo vectum equo, ferire ſe poſſe globo confideret? Annuit tormentarius, directoque, Badenſis juſſu, in eum locum tormento, percuſſit Turennium. (t)

§. X I.

(s) RAMSAY *Hiſtoire du Vicomte de Turenne* Lib. VI. pag. 560. ſq. *Memoires des deux dernieres Campagnes de Mr Turenne* pag. 212. ſq.

(t) MULLER *verwirrtes Europa* Part. VII. p. 735. *Theatrum Europ.* Tom. XI. pag. 670. in ipſa imagine prœlii. WAGNER. *Hiſtor. Leopold.* Part. I. pag. 386. BASNAGE *Annales des provinces unies* Tom. II. pag. 616. GERARD VAN LOON *Hiſtoire Metallique des Pays bas* Tom. III. Part. III. Lib. II. pag. 162.

§. XI.

Poſt mortem ejus Gallicus exercitus, Lorgio Duce, in Alſatiam rediit; non modicum in reditu damnum perpeſſus. Inſecutus eos Montecuculius in Alſatia Inferiore Hagenoæ obſidionem aggreſſus eſt. Sed poſt adventum Condei, qui novas e Belgio adduxerat copias, relicta Hagenoa, exercitum Gallis admovit; iisque fruſtra tentatis, Tres Tabernas acceſſit; oppidi hujus, quod valido præſidio muniverant Galli, obſidionem facturus. Hermannus noſter cum dextro Cæſareanorum cornu ſtrenue aggreſſus eſt opus, diſpoſitisque tormentis magno urbem impetu quaſſavit; (*u*) Montecuculio ad Hochfeldam cum ſiniſtro cornu hærente, ut obſervaret Condeum. Sed inter medios hos apparatus Montecuculius, acceptis Vindobona litteris, opera ſolo æquavit, obſidionem ſolvit, atque reliquum anni tempus haud procul Lauterburgo otioſum transegit. Per Sveviam & Franconiam dein diſtributi ſunt milites. Montecuculius cum Badenſi prætoriam ſtationem cepit Eslingæ, (*x*) brevique poſt Vindobonam, conceſſit. (*y*)

Geſta reliqua ejus anni.

Tom. III. Y

(*u*) *Theatrum Europ.* loco alleg. pag. 676.

(*x*) Ibid. pag. 677. Wagnerus pag. 413. Ehingam nominat.

(*y*) Wagnerus Part. I. pag. 391. Montecuculium intentatæ a Badenſi accuſationis cauſa Vindobonam abiiſſe ſcribit.

§. XII.

Expugnatio Philippiburg.

Carolum Lotharingiæ Ducem in Montecuculii locum exercitui Cæſareo Rhenenſi Leopoldus Imperator A. 1676. præfecit. Bournonvillio, qui in Hiſpaniam abierat, Fridericus VI. Durlacenſis Marchio ſuffectus, eique Hermannus noſter adjunctus eſt legatus. (z) Vindobonæ in conſilio bellico decreta Philippiburgi obſidio, quam urbem Cæſareani laxa obſidione, poſitis hinc inde ſtationibus atque caſtellis, per hiemem incluſerant. Primo vere (a) Rochefortius Mareſchallus, cum inſigni agmine Nancejo profectus, magnam vim annonæ & apparatuum bellicorum Philippiburgum transferre decrevit, cui excipiendo Fayus, urbis Gubernator, cum nongentis præſidiariis in adverſam Rheni ripam tranſierat. Intellecto conſilio Hermannus, coactis celeriter copiis, Altſtadii prope Weiſſenburgum Alſatiæ conſiſtens, Schultzium cum tormentis delectisque peditibus montium fauces prope Cleburgum juſſit occupare. Rochefortius tranſire non auſus, re infecta, unde venerat, receſſit. (b) Expugnata dein munitione, quam in oppoſita Rheni ripa quingentorum militum præſidio firmaverant Galli, ipſa Philippiburgi ſuſcepta obſi-

(z) WAGNER. *Hiſt. Leopoldi* Part. I. pag. 413. BASNAGE *Annal. des provinces unies* Tom. II. pag. 672.

(a) Martio Menſe.

(b) *Theatrum Europ.* Tom. XI. pag. 853. ſeq. WAGNER. *loc. alleg.* p. 413.

Digitized by Google

dio, in qua Hermanno noſtro poſt Fridericum Durlacenſem præcipuæ demandatæ ſunt partes. (c) Lotharingus, rejecto Luxemburgico Duce, qui Gallicum hoc anno exercitum ad Rhenum ſuperiorem ducebat, Lauterburgum inter & Weiſſenburgum, dein mutato conſilio, Spiram inter & Germershemium tuendæ oppugnationi conſedit. Turennianum propugnaculum aliasque urbis partes Hermannus duodecim tormentis, in ſuggeſtu diſpoſitis, tanta vi quaſſavit, ut die ſecundo Auguſti opus exterius impetu caperetur. Quingentos milites, quos Luxemburgi Dux in urbem tum introducere voluerat, disjecit Hermannus. (d) Inſecuta eſt urbis traditio die 17. Septembr. Hermannus Fayum, qui ſumma virtute urbem defenderat, publice collaudatum, gladio, gemmis diſtincto, donavit. (e)

§. XIII.

Philippopoli capta fœderati A. 1677. Galliæ viſcera petituri, inter ſe convenerant, ut Lotharingiæ Dux per Lotharingiam in Campaniæ partes; Iſenacenſis Dux, cui ſumma Imperii, Fœderator. conſilia.

(c) Errat VAN LOON *Hiſtoire Metallique du Puys bas* Tom. III. pag. 185. Hermanno noſtro ſoli obſidionem urbis adſcribens.

(d) *Theatrum Europ.* loco alleg. pag. 858.

(e) *Ibid.* pag. 862. ubi & deditionis leges occurrunt. BASNAGE loco alleg.

poſt Friderici Durlacenſis mortem, delata, per Alſatiam in Burgundiam; Arauſionis Princeps in Picardiam penetraret. Lotharingicæ expeditioni Hermannus interfuit; ſed ea, uti & reliqua fœderatorum conſilia, caruerunt ſucceſſu. Galli potius, Crequio Duce, Friburgum Brisgoviæ, impetu in eam facto, verſus anni finem, ceperunt.

Argentinenſes litteris, A. 1678. die 13. Jan. Rotwilæ datis, Hermannus commonuit, ne annona Seleſtadium alioque ſubvecta, hoſtes juvarent. Marchioni reſponſum, nullam culpam admiſſam; rumores, qui ad eum perlati ſunt, fictos eſſe & falſos.

§. XIV.

Expeditio A. 1678.

Ineunte vere, Lotharingus Friburgum recuperare decreverat, eamque ob cauſam Hermannus, coactis bis mille agreſtibus, militarem viam, quæ ducit Friburgum, ſubvehendis tormentis, juſſit reparari, haud procul Argentorato Rhenum tranſi-

pag. 703. MULLER *verwirrtes Europa* Tom. III. pag. 110. ſeq. hic obſidionem hanc late deſcribit. Add. *Kurtze und warhaffte Beſchreibung alles deſſen, was ſonderlich denck- und merckwürdig in jüngſter Belagerung der Veſtung Philippsburg von Tag zu Tag ſich begeben hat.* Scriptum hoc impreſſum eſt Argentorati A. 1676. Prodiit tum quoque: *Acclamatio votiva ad Cæſarem ob Philippoburgum captum.*

turus. Sed lente ex hibernis quod advenirent copiæ, Crequius Gallorum Dux, Lotharingum prævertit, tranſitoque duobus pontibus Rheno, Briſacum inter atque Friburgum conſedit. Rhinfeldam dein oppugnaturus, Choiſeulium cum parte copiarum præmiſit, qui cum Starembergio, ſub ipſis Rhinfeldæ mœnibus, prœlio conflixit; in quo Carolus, Hermanni noſtri frater, occubuit. Obſeſſum a Gallis oppidum, magna Cæſareanorum virtute defenſum eſt. Crequius denique, omiſſa Rheinfelda, magnis itineribus Offenburgum contendit; quod ſi cepiſſet, non Brisgovia modo, ſed & Svevia Gallis patuiſſet. Crequium ut anteverteret Lotharingiæ Dux, diviſo in quatuor partes exercitu, per abrupta & confragoſa Silvæ Nigræ juga periculoſum ingreſſus eſt iter, illudque perfecit. (*f*) Primum agmen cum re tormentaria Hermannus noſter & Chavignacus; alterum Saxo Priiceps cum Schulzio; tertium Caprara; poſtremum Lotharingus ipſe duxit. (*g*). Badenſis tormenta Offenburgo invexit, ſub quæ ſe recepit Lotharingus. Pugna tamen evitata utrimque.

(*f*) Itineris hujus memoria in tabula argentea, majoris molis ſupereſt in San-Blaſiana Abbatia. Tabula Carolum Lotharingum & militiæ præfectos, qui eum ſecuti ſunt, anaglypho opere repræſentat.

(*g*) *Theatrum Europ.* Tom. XI. pag. 1152. Wagner *Hiſtor. Leopoldi* Part. I. pag. 442.

§. XV.

Argentina a Gallis tentata.

Crequius ſpe capiundi oppidi dejectus, omnem impetum in Argentinenſes convertit, occupatoque Kehlæ munimento, reliquas Argentinenſium ad Rhenum munitiones invaſit.

Confirmandis Argentinenſibus Mercium & Piccolominum, celebres belli Duces, dein ipſum Badenſem cum inſigni præſidio in urbem eorum introduxit Lotharingus. Petierat a Senatu Crequius, ut munimenta ſibi traderet ad Rhenum, receptoque in urbem præſidio Helvetico, Cæſareanos dimitteret, atque ita agrorum ſuorum populationem averteret. His conditionibus impletis, Argentinenſium finibus ſe exceſſurum ſpoponderat. Conditiones has ne acciperet Civitas, Hermanni noſtri obſtiterunt conſilia, qui omnem Cæſaris exercitum propediem adſuturum pollicitus, animos civium a præſenti periculo ad belli ſtudia convertit. Rhenenſes munitiones inter hæc ab Argentinenſibus fortiter defenſæ, excitante hortanteque Hermanno; ſed tandem a Gallis occupatæ. Recedens paulo poſt in Lotharingiam Crequius cives metu liberavit. Hermannus Argentinæ cum incidiſſet in morbum, Lotharingiæ Dux Archium Comitem præſidio urbis præfecit. (*h*)

(*h*) *Theatrum Europ.* & WAGNER. locis allegatis. Editum illo tempore

§. XVI.

Poſt pacem, Neomagi & ad SanGermani fanum conclu- Geſta poſt Pacem Neomag. ſam, Elector Brandeburgicus, e re ſua futurum exiſtimans, ut cum Ludovico XIV. fœdus & amicitiam coleret, cum Pomponneo ejus legato de fœdere, cum Rege ineundo, tractavit. Leopoldus autem Imperator Gallicis, quas vocant, Reunionibus commotus, ad Ratisbonæ Comitia A. 1680. Electorem invitavit, ut de defendendo contra Gallos aliosque hoſtes Imperio cum Cæſare atque Ordinibus rationes iniret. Sed & Hermannus Badenſis ex itinere tum apud Electorem divertit, in defenſorium ut eum perduceret fœdus, quod ad conſervandam Imperii majeſtatem plurimum valere judicabat. Imperium, prima ab ejus origine, nunquam in tanto verſatum periculo; cui avertendo opus eſſe dicebat Hermannus, ut de perpetuo armorum apparatu inter ſe conveniant Ordines. Magnis ſine ſumtibus rem quidem geri non poſſe; at præcavendæ dominationi externæ ad dura feſtinandum remedia. Elector generatim reſpondit, communi quæ conſenſu decreta aut decernenda, ad ea ratam ſuam partem ſe libenter collaturum. At Cæſaris omnino ut ſequatur conſilia, nec patriæ, nec utilitati ſuæ convenire profeſſus eſt. (*i*)

ſcriptum: *Relation de l'Attaque & de la priſe des Forts du Rhin appartenans à la Republ. de Strasbourg.*

(i) Pufendorf *Rerum Brandeburg.* Lib. XVIII. §. 6.

§. XVII.

Marchio Conſilii bellici Præſes.

Hermannus, poſtquam & alias Electorum & Principum Aulas, quas Cæſar præſenti rerum ſtatu ſibi conciliare ſtuduerat, inviſiſſet, Vindobonam redux, in Montecuculii, eodem anno defuncti, locum, bellici Senatus Cæſarei creatus eſt Præſes; (*k*) eaque dignitate ornatus, brevi poſt Tartarorum legatos audivit. (*l*) Continuati inter hæc Gallicarum, de quibus jam ſupra, Reunionum progreſſus. Paucos intra annos plures Imperii Belgiique Hiſpanici ditiones & oppida in Galliæ poteſtatem redactæ. Cæſar cum Hiſpanis, Batavis, Svecis A. 1683. pepigit fœdus, ſed irruentibus hoc anno Turcis, de pace cum Gallis ineunda, inſtituti ſunt Ratisbonæ conventus. Res tamen protracta. Speraverat Cæſar, Turcis debellatis, æquiores pacis conditiones ſe obtenturum a Gallis. Hermannus Badenſis & Emmericus Vindobonenſis Epiſcopus conſilii hujus dicebantur auctores, quibus eam ob cauſam ſuccenſuerant Galli. (*m*) Vicennales induciæ tandem A. 1684. Ratisbonæ Cæſarem inter & Gallos concluſæ ſunt.

§. XVIII.

(*k*) *Theatrum Europ.* Tom. XII. pag. 163.

(*l*) *Ibid.* pag. 288.

(*m*) PUFENDORF. *Rerum Brandeburg.* Lib. XVIII. §. 104.

§. XVIII.

Sub initium Turcici, quod indicavimus, belli Hermannus una cum Lambergio Comite in Hungariam profectus, Arrabonis & Comariæ urbium munitiones inſpexit easque & omnem Schutiæ inſulam ad defenſionem contra Turcas paravit. (*n*) In Vindobonenſi obſidione, a Turcis eodem anno ſuſcepta, conſiliis ſuis Chriſtianam rem ſtrenue adjuvit Campi Mareſchallus atque in prœlio ad Vindobonam, quo victi caſtrisque exuti ſunt Turcæ, inter ceteros Chriſtianorum heroes magna cum fortitudinis laude pugnavit Hermannus. (*o*) Cæſar eum in Hungariam miſit anno ſequenti (1684) ad obſidionem Budæ, ut ibi imperaret, donec Carolus convaleſceret Lotharingus. (*p*) Hunc inter & Marchionem dudum interceſſerat frigus, in ſimultatem excreſcens. Sunt, qui belli Turcici, ab initio male geſti, & obſidii Budæ ſublati

Geſta bello Turcico.

(*n*) *Theatrum Europ.* loco alleg. pag. 527.

(*o*) *Ibid.* pag. 550. Wagner *Hiſt. Leopoldi* Part. I. pag. 611. Idem pag. 552. Hermannum Promareſchalli tum in exercitu Cæſareo munus obiiſſe tradit.

(*p*) Hermannus appulit in caſtris d. 8. Oct. *Hiſtoire des Troubles d'Hongrie* Part. IV. pag. 410.

HERM.

cauſam diſſenſui eorum adſcribunt. (*q*) Non una profecto occaſione patuit, Carolum Lotharingum nec Bada-Badenſis, nec Bada-Durlacenſis, Marchionum, fuiſſe fautorem.

Circa idem tempus Schulzius, Cæſareanorum dux, de ſua contra Teckelium expeditione felici in ſuperiore Hungaria literis Hermannum reddidit certiorem. (*r*)

Turcicus rerum politicarum interpres Maurocordatus, Mahometis V. Sultani nomine, literas ad eum perſcripſit A. 1686. quibus Cæſari obtulit pacem. Cæſaris nomine reſpondit Hermannus, nondum eſſe tempus diſſerendi de pace. Sultanum rupiſſe inducias, bellum eſſe continuandum. (*s*)

§. XIX.

Legatus Cæſ. ad Comitia.

Ab alia parte cum Ruſſicis legatis, qui Vindobonam advenerant, A. 1687. ex mandato Cæſaris, de fœdere tractavit Her-

(*q*) PUFENDORF loc. alleg. §. 94.

(*r*) Litteras exhibet auctor libri, cui titulus: *Die Ottomanniſche Pforte* Tom. II. pag. 279.

(*s*) Vide Literas in *Ottomanniſcher Pforte* loco alleg. pag. 367. Similes & literas A. 1689. ad Marchionem datas, indicat idem auctor pag. 489.

Digitized by Google

mannus. (*t*) Paſſavienſis Epiſcopus, Cæſaris ad Comitia Imperii legatus, ſub finem anni hujus quum incidiſſet in morbum, Imperâtor ei ſuffecit Hermannum, quem in literis, die 5. Dec. Poſonii datis, (*u*) Conſiliarium ſuum intimum, Conſilii bellici Præſidem, Campi-Mareſchallum & Arabonii limitis Præfectum appellat. Cæſar in litteris his multum in Hermanni laudes excurrit; ægre eum a ſe dimitti oſtendens, quod in Turcico bello egregia illius opera utebatur.

Menſe Auguſto anni 1688. Hermannus de ſuo Ratisbonæ adventu & in promovenda cauſa publica ſtudio, remotis levioris momenti diſceptationibus, literas ad Imperii Principes perſcripſit. (*x*)

§. XX.

In ſublimi hoc munere per triennium verſatus, in iisdem Ratisbonæ Comitiis die 2. Octobris anno Aeræ 1691. ætatis 63. apoplexia e vivis ſublatus eſt cælebs; Muſis, Marti ac Themidi Obitus.

(*t*) Ibid. pag. 377.

(*u*) Extant literæ credentiales in Londorp. *Actis Publicis* Tom. XIII. p. 597. Alias Cæſaris literas in eandem rem, die 26. Apr. perſcriptas, exhibet idem *loco alleg.* pag. 598.

(*x*) Londorpius in *Actis publ.* Tom. XVI. pag. 199.

carus; verum Domus Badenſis Palladium; totius Germaniæ elogiis cumulatus. Marchiæ, bellicis flammis combuſtæ, corpus ejus non potuit conferri. In D. Emerani æde, comitantibus Principum Ordinumque legatis, ſepultum eſt Ratisbonæ. (y) In Cæſarei Præſidis Comitiorum dignitate Lobkovizius Princeps Hermanno ſucceſſit.

(y) Die 30. Octobr. Verſus in mortem ejus conditi leguntur in *Theatro Europ.* Tom. XIV. pag. 89.

Digitized by Google

CAPUT X.

LVDOVICVS WILHELMVS.

A. 1677 ----- 1707.

§. I.

Tandem rerum ordo nos ducit ad celebratum illum toto orbe heroem, Principem Ludovicum Badenſem, qui in Hungarico belli theatro per decennium tanta cum gloria comparuit terror Turcarum. Introitus.

Bada & Sabaudia, ſeculo ſuperiore ad finem vergente, duos heroes, ex fratre & ſorore genitos, (*a*) oſtentarunt Europæ, quorum alter vix parem, alter vix ſuperiorem apud ſuos invenerunt & exteros. Ludovicum & Eugenium intelligo Principes; nota illa belli fulmina; quorum memoria nonniſi cum omnium rerum oblivione peribit; quorum alter ex alterius pro-

(*a*) Pater Eugenii Principis fuit Eugenius Mauritius, cujus ſoror Louiſa Chriſtina genuit Ludovicum Badenſem.

Digitized by Google

greſſus eſt ſchola; uterque alterius laudator & æſtimator virtutis.

Ludovici natales.

Auſpicatum *Ludovici* nomen Domui Badenſi Marchio noſter intulit primus. Lutetiæ Pariſiorum A. 1655. die 8. Aprilis in lucem productus, Ludovici, apud Gallos regnantis, inſignitus eſt nomine; quod Principi, magnis rebus gerendis deſtinato, fuit augurium felix. Eduardi nomen ex Anglia, Wilhelmi ex Bavaria, Ludovici ex Gallia ad Badenſes pervenit. Ludovicus noſter Borboniæ Genti per matrem, Bada-Badenſium propagatricem, affinitate conjunctus, axioma hoc ſuæ intulit Genti; ipſe filiam dein ſuam Familiæ Aureliano-Borboniæ genitricem in redhoſtimentum miſſurus.

§. II.

Pariſiis deducitur Badam.

Ludovica Chriſtina in regia Galliarum urbe, artium, elegantiarum metropoli, filium ſuum educare decreverat. Ipſa enim origine Sabauda, Gallicis moribus pertinaciter aſſueta, nullo modo potuit induci, Lutetiam ut commutaret cum Bada. At uxoris conſilium Ferdinandus Maximilianus improbavit & ſocer; qui unanimes decreverant, Ludovicum Wilhelmum infantem, inſcia & invita matre, in Germaniam transferre. Pater biennio poſt nuptias ad penates redierat. Laſſolæus, origine Sabaudus, (*b*)

(*b*) Carolus Mauritius de Laſſolaye ejusque frater cum Ludovica Chriſtina A. 1653. venerunt Lutetiam. Alter Ferdinandum Maximilianum ſecutus eſt Badam, alter manſit Lutetiæ. Prioris poſteri hodieque florent apud

Digitized by Google

inter aulicos Marchionis Officiales, conſilii particeps, ſub ſpecie inviſendi fratris Lutetiam profectus, Ludovicum noſtrum, Principem trimeſtrem, feſtinato itinere ſalvum & ſoſpitem transtulit Lutetia Badam; ubi ſub Patris & ſub Avi præſidio togatis virtutibus educatus eſt puer, ad ſagatas præſertim deſtinatus a cœlo.

§. III.

Egregia adoleſcentis facinora.

Quatuordecim annorum ephebus patrem amiſit, atque adeo Wilhelmi avi ſui, cujus ſucceſſor futurus erat, ſubiit tutelam. Tanto ſub Principe tantæ indolis Princeps, ad ſublimia natus, non potuit non ad ſumma eniti. Decimo nonò ætatis anno (1674) Germanici exercitus expeditioni ad Rhenum contra Gallos interfuit ſpectator & actor. Inde ſub Montecuculio, magno bellicæ ſcientiæ magiſtro, Turennii æmulo, militans, in Goldſchurana velitatione, haud procul Kehla, & occiſo (1675.) Turennio, Gallicum exercitum, cum in Alſatiam rediret, perpetuis velitationibus plures per dies perſequendo vexavit. In Philippopolitano obſidio, quod Fridericus VI. Marchio Bada-Durlacenſis A. 1676. ſuſceperat, prima cum expugnanda ſuiſſet vallatio, ipſe, Durlacenſi agnato & Hermanno patruo inſciis, inter expugnatores comparuit; quos inter cæſus eſt Fridericus Auguſtus, Guel-

Badenſes. Poſterioris filius in Aula Ducum Aurelianenſium vixit, quum filio hujus A. 1724. Auguſta Maria Badenſis deſponſaretur.

LVDOV. WILH.

pherbytanus Princeps. Cæſaream legionem, morte ejus vacantem, Ludovico noſtro Badenſi ſponte ſua obtulit Cæſar; juvenis herois ardorem hoc præmio exornans.

§. IV.

Alia.

Anno ſequente (1677) Galli Briſgovicum obſederunt Friburgum. Schulzius & Portia Comes defenderant urbem. Ludovicus noſter, qui inter præſidiarios fuerat, Gallos, ſuburbium Neoburgenſe aggreſſos, fortiter repulit, cumque in eo jam fuiſſent, ut caperent urbem, Schulzio auctor fuit, ut urbe relicta, ſe in arcem reciperet; quod conſilium, ſeculo hoc noſtro, eadem in urbe executus eſt Harſchius. Ludovici conſilium contempſit Schulzius, arcemque cum urbe tradidit hoſtibus. (*c*)

A. 1678. ſub Carolo IV. Lotharingo, Cæſaris & Imperii exercituum ductore, prope Stauffam Briſgoviæ, Gallos tanto cum ardore adortus eſt, ut penetrans agmen eorum, deſertus a ſuis, in hoſtium poteſtatem veniſſet, niſi fortiter pugnans dextra ipſe ſua ſibi viam aperuiſſet, redux ad ſuos. Ludovicus ſua manu legionis Gallicæ præfectum occidit. (*d*) Lotharingus de eo jam tum auguratus eſt magna.

§. V.

(*c*) BASNAGE *Annales des Provinces unies* Tom. II. pag. 816.

(*d*) Idem *loco cit.* pag. 886.

§. V.

Inter ardentes has belli Gallo-Germanici flammas avo ſuo in Marchia Ludovicus ſucceſſit. Regimen Marchiæ bellicum ejus non retardavit ardorem; quin potius acuit. Ab eo enim tempore Vindobonenſi Aulæ, in qua patruus ejus Hermannus, Cæſaris Leopoldi gratia floruerat, dicavit ſe totum. Cæſar ei XXIII. annos nato, non modo veniam ætatis, ſed paulo poſt in dignitate Judicis Cameræ Imperialis avo ſuccedendi ſpem ei largitus eſt; quam Ludovicus, bellicæ virtutis amantior, nunquam ambiverat. Illuxit denique Pax Neomagenſis A. 1679. quo Marchia cum pendentibus inde terris reſtituta Ludovico; quam in florentem ut reduceret ſtatum quovis modo allaboravit. Regimen adit.

§. VI.

Ditiones ſuas in TransRhenana ad dextram Rheni ripam Germania dum reſtauraret Ludovicus, in Cis Rhenanis ejus nova eſt exorta tempeſtas. Briſacenſis Reunionum, ut vocant, Camera, præter alias a Galliæ Rege inſtituta, ut in jura ejus, Monaſterienſi, Pyrenæa & Neomagenſi Tractatibus Pacis adquiſita, inquireret, Beinhemium, Alſatiæ inferioris oppidum, cum Leutenhemio vico ad Marchionatum Bada-Badenſem pertinens, ut Reuniones Gallicæ.

& Grevenſteinenſem Præfecturam, in Weſtraſiæ finibus, cum Spanheimenſi Comitatu, vel quod loca in ſolo Alſatico ſita, vel quod a Veldentiæ Comitatu, Metenſis & Virodunenſis Epiſcopatuum feudo, Spanheimenſia pendeant, die 22. Martii A. 1680. Gallico addixit imperio. (*e*) Luxenburgicas Badenſium terras jam A. 1678. die 30. Dec. adeoque ſtatim poſt Pacem Neomagenſem, cum Hiſpanis die 17. Sept. concluſam, ſibi vindicaverat Gallia. (*f*) Ludovicus noſter, ſcripto in lucem edito, cauſam ſuam egit; (*g*) libello quoque in Comitiis exhibito, Imperii opem implorans. (*h*) Ludovico noſtro cum Durlacenſi, Naſſovia, Palatina aliisque Domibus, Rheno vicinis, controverſia hæc Gallica fuit communis; Vicennalibus Induciis, Ratisbonæ initis, A. 1684. utcunque ſopita.

Anno ætatis vigeſimo octavo, (1682.) in Germaniam inferiorem Belgiumque iter Ludovicus ſuſcepit; eodemque anno Calendis Februarii creatus eſt Cæſareus Campi Mareſchallus Generalis Locumtenens.

(*e*) Arreſt du Conſeil ſouverain d'Alſace ſeant à Briſac. Recueil des Arreſts &c. pag. 251. ſeqq.

(*f*) *Memoires des Contraventions faites par la France au Traité de Paix conclu à Nimmegue entre Sa Majeſté Catholique & le Roi tres Chretien* pag. 24. ſeqq.

(*g*) Extat in LONDORPII *Actis publ.* Tom. XI. p. 138 Prodiit quoque ſcriptum ſub titulo: *Marchio-Badenſes Vindiciæ adverſus prætenſiones Gallicas ratione Præfecturarum Beinheim & Grevenſtein, nec non utriusque Comitatus Sponheim. A. 1681.*

(*h*) Ibid. pag. 284. 297. & 474.

LVDOV. WILH.

§. VII.

Obſidio Vindobon.

Induciæ vicennales, poſt Gothardianam victoriam Imperatorem inter & Turcas ad Veſvariæ vicum initæ, ad finem cum vergerent, Turcarum Imperator Mahomethes IV. non expectato earum fine A. 1683. hoſtilia in Chriſtianos arma, quæ univerſæ Germaniæ exitium minitabantur, corripuit. Ferro & igne viam ſibi ad Vindobonam usque aperuerant Turcæ, urbemque per duos fere obſederant menſes, quum Johannis III. Poloniæ Regis & Caroli Lotharingiæ Ducis virtute ad ipſa urbis mœnia prœlio victi, caſtris relictis, in fugam converſi ſunt. Ludovicus interfuit pugnæ & cum Hollweileriana, Heiſteriana, Wirtenbergica cohortibus urbem ingreſſus, juncto cum oppidanis robore, reliquos hoſtes ex vallo obſidionali ejecit. (*i*) Res die 12. Sept. evenit. Hermannus patruus ejus, Campi Mareſchallus, inter liberatores urbis quoque viſus eſt, manu atque conſilio fortis; ut in ejus vita oſtendimus. Vindobona liberata, (*k*) de Turcis ex Hungaria, quam fere omnem tenebant, expellendis deliberatum.

(*i*) *Theatrum Europ.* Tom. XII. pag. 549. ſqq.

(*k*) De obſidio hoc varia obſervat DEMETRIUS CANTIMIR, Moldaviæ Princeps, in *Hiſtoria Othomannica*, Gallice edita, Lib. IV. pag. 88. Cantimirus illo tempore vixit.

§. VIII.

Prœlium Barcanenſe.

Barcanum, munita ſuperioris Hungariæ arx, haud procul Strigonio, a Cæſareis oppugnatum, antequam oppugnaretur Strigonium. Turcæ impedituri expugnationem Barcani, victi ſunt prœlio die 10. Oct. quatuor millibus eorum in acie, duobus millibus in palude occiſis; quorum equites plerique. Primariorum Ducum multi vel enecti vel capti. (*l*) Ludovicus in prœlio hoc duxit equitatum; (*m*) cujus opportuna converſio Turcis intulit terrorem. Barcani portam cum legione ſua Ludovicus effregit. (*n*) Eadem fata mox experta eſt Strigonium. Proſperos hos Chriſtianorum ſucceſſus capite ſuo expiavit belli auctor Vizirius, Kara Muſtapha, ſtrangulatus Belgradi. Caput ejus Hadrianopolin Sultano allatum, indeque reportatum Belgradum; Belgrado capto Vindobonam translatum. (*o*) Expeditione hujus anni finita, Joannes Sobieskius, Poloniæ Rex, redivit in Regnum.

(*l*) ZEILERI *Hungaria* Part. II. pag. 309.

(*m*) *Hiſtoire des Troubles d'Hongrie* Part. III. pag. 347.

(*n*) *Ottomanniſche Pforte* Tom. II. Lib. XI. p. 250. WAGNERI *Hiſtoria Leopoldi Magni Imp.* Lib. VIII. pag. 623.

(*o*) Servatur in Vindobonenſi armamentario in memoriam urbis ab eo obſeſſæ.

Digitized by Google

Ludov. Wilh.

§. IX.

Obſidio Budæ.

Strigonium, quæ Hungariæ Primatis ſedes, in Cæſaris poteſtatem cum fuiſſet redacta, ille de expugnanda quoque Regni Hungariæ Regia, Buda nempe, fuit ſollicitus. Ludovicus Badenſis, obſidioni præludens, Vicegradum ad Danubium, quam Viciam vocant, Strigonium inter & Budam A. 1684. Junii menſis expugnavit initio. Victoria tamen ante fuerat reportanda a Turcis, qui cum XXV. millium exercitu obſidionem impedire ſtuduerant. In Viciano hoc prœlio mediam aciem cum Starenbergio & Gondola tenuit Ludovicus, tantaque conſtantia hoſtium impetus excepit, ut tribus peditum millibus amiſſis, in fugam verterentur. (*p*) Julio menſe ſuſcepta oppugnatio Budæ, quæ a Chriſtianis munita, ſub Turcis munitior, nonniſi multo ſanguine expugnanda effuſo. (*q*) Seraskierius, princeps poſt Vizirium belli dux, cum ingenti exercitu in vicinia ſtetit, laboranti quovis modo ut ſuccurreret urbi.

§. X.

Turcis pulſis ſublata.

Prœlium acre die 22. Julii Carolo Lotharingo, Cæſaris ſororio, belli duce, commiſſum, cui Maximilianus Emanuel,

(*p*) Wagner. *Hiſtor. Leopoldi* Lib. IX. pag. 636. *Theatrum Europ.* Tom. XII. pag. 670.

(*q*) Cantimir *Hiſtoire Othomanne* Lib. IV. pag. 102.

Digitized by Google

Lvdov. Wilh.

Elector Bavariæ, futurus mox Cæſaris gener, Ludovicus Badenſis, & conſanguineus ejus Eugenius Franciſcus, quem ſupra memoravi, viginti tum annorum adoleſcens, interfuerunt victores. Lotharingus in literis, ad Cæſarem ſcriptis, Ludovici noſtri fortitudinem in primis extollit; (r) qui non modo in prœlio fortiter pugnavit, ſed & cum Gœtziana & Sabaudica cohortibus tam acriter proſecutus eſt Turcas, ut plurimis in fuga occiſis, onerarios mille camelos & mulos cum bellicis tormentis in ſuam poteſtatem redegerit. (s) Poſt hæc in ipſa quoque obſidione heroem ſe præſtitit Ludovicus; hoſtes, eruptionem non ſemel facientes, repellens in urbem. (t) Nihilominus poſt trimeſtres labores, quos aëris inclementia, morbi, aliaque mala non ſemel interruperant, Calendis Novembribus ſublata fuit obſidio Budæ; in qua viginti quatuor millia militum Cæſar amiſit. Paulo ante Ludovici patruus, Hermannus Badenſis, a Cæſare miſſus eſt, ut Carolo Lotharingo ægrotante, exercitui præeſſet.

§. XI.

Pugna ad Strigon.

Felicioribus ſucceſſibus inſequens annus Hungaricos Auſtriæ illuſtravit Annales. Neuheuſelium a Cæſareanis obſeſſum.

(r) Extant hæ literæ in libro, cui tit. *Ottomanniſche Pforte* Tom. II. pag. 265.

(s) Anonymus Libri cui tit. *Hiſtoire des Troubles d'Hongrie* Tom. IV. pag. 51.

(t) Wagnerus *loco alleg.* pag. 644.

Digitized by Google

Lvdov. Wilh.

Turcæ Strigonium obſident. Durante obſidione Vicegradum expugnant. At brevi inſecuta eſt ad Strigonium pugna, in qua dextrum cornu rexit Lotharingiæ Dux. Turcæ illud fruſtra aggreſſi, & ad ſiniſtrum converſi, a Bavaro repulſi ſunt atque fugati. Fugientes excepit Ludovicus noſter, qui eos expectaverat prope Danubium. (*u*) In hoc prœlio triginta tormenta bellica, viginti vexilla, ſedecim mortaria per Cæſareanos capta ſunt; ſepties mille Turcæ perierunt. Expugnata eorum caſtra; in quæ Ludovicus inter primos irrupit. (*x*) Strigonienſem victoriam ſecuta eſt Neuheuſelii expugnatio die 19. Auguſti. Ex præſidiariis, quorum tria millia numero, ducenti reſidui. Infelicia hæc fata Turcis contra Tekelium ſuſpicionem injecerant, qui vinctus Conſtantinopolin ductus eſt. Vizirius Ibrahim eum in vincula conjecit; Solimannus ſucceſſor libertati reſtituit. (*y*)

§. XII.

Expugnatio Budæ.

A. 1686. expeditionis initio Cæſar Ludovicum Badenſem Præfectum Equitatus creavit. (*z*) Repetenda fuerat hoc anno

(*u*) *Theatrum Europ.* Tom. XII. pag. 824. ſq.

(*x*) Wagner. *Hiſt. Leopoldi* Lib. IX. p. 662.

(*y*) Tekelius eodem anno liberatus quo captus. Cantimir *Hiſt. Othomannæ* Lib. IV. pag. 106. & 112.

(*z*) *Theatrum Europ.* Tom. XII. pag. 1004.

LVDOV. WILH.

obſidio Budæ, quam ante biennium infelici ſucceſſu Cæſareani tentaverant. Carolus Guſtavus, Friderici Magni, Marchionis Durlacenſis frater, Svevicas & Franconicas adduxerat copias. (*a*) Obſidioni interfuit quoque Ludovicus Badenſis; ſuoque exemplo Cæſareanos fugientes non ſemel ad pugnam revocavit, ferrea bis glande vulneratus. Urbs die 21. Junii obſideri cœpta, ſecundo Septembris capta. Quin & arx Budæ paulo poſt a Ludovico noſtro ſubacta; qui cum octodecim Cæſareanis cohortibus Colozam, Simotorniam, (*b*) Funfkircham, Dardam, ubi Eſſeckianum octies mille paſſuum pontem combuſſit, (*c*) Socloſiam, Caposvariam, ubi equus, cui inſederat, occiſus, expugnavit. (*d*) Occupatis his in inferiore Hungariæ urbibus, expeditionem menſe Novembri finivit.

§. XIII.

Turcæ pacem petunt.

Tum denique Sultanus per interpretem ſuum, Maurocordatum, literas ad Senatus Bellici Præſidem, Hermannum, Mar-

(*a*) *Hiſtoire des Troubles d'Hongrie* Part. V. Lib. XVIII. pag. 92.

(*b*) Ibidem Part. V. Lib. XX. pag. 312. CANTIMIR *Hiſt. Othomanne* Lib. IV. pag. 114.

(*c*) ZEILERI *Hungaria* pag. 358. 476. *Troubles d'Hongrie loc. alleg.* pag. 333.

(*d*) Expugnationes has urbium pluribus deſcribit Auctor anonymus in *vita Ludovici Badenſis* Germanice ſcripta pag. 9. ſeqq. & WAGNERUS in *Hiſtoria Leopoldi* Lib. IX. pag. 727.

Digitized by Google

Marchionem Bada-Badenſem, ut ſupra jam annotavi, (e) miſit, quibus Cæſari obtulit pacem. (f) Cæſar felici rerum ſucceſſu, fœdere cum Venetis, Polonis, quin & cum Ruſſis fidentior, bellum continuare decrevit. Tres Marchiones ex Badenſium Domo tum militaverant Cæſari. Ludovicus Wilhelmus noſter, quem Vindobonam ex Hungaria redeuntem Cæſar die 27. Nov. ſupremum exercitus ſui ducem creavit. (g) Patruus ejus Hermannus, inter liberatores Vindobonæ, Campi Mareſchallus, Cæſareanorum peditum duxit cohortes; (h) in Gallicis ad Rhenum & Turcicis in Hungaria bellis quoque illuſtris, Cæſarei Conſilii bellici Præſes. His Bada-Badenſibus Bada-Durlacenſis Carolus Guſtavus, Friderici Magni frater, annumerandus; qui ſexies mille Svevos & Francos auxiliares Cæſari in Hungariam adduxit. (i)

§. XIV.

Inſequens annus (1687.) in Hungaricis Annalibus inter feliciores ponendus. Ludovicus Badenſis cum Maximiliano, Victoria Mohaz.

(e) In vita Hermanni Marchionis.

(f) Literas cum Reſponſo Cæſaris vide in *Ottomanniſche Pforte* Tom. II. Lib. XIV. pag. 367. ſeqq.

(g) *General-Feldmarſchall.* Anonymus in *vita Ludovici Wilhelmi* pag. 14.

(h) *Hiſtoire des Troubles d'Hongrie* Part. III. pag. 261.

(i) Ibid. Part. V. Lib. XVIII. pag. 145.

Digitized by Google

Lvdov. Wilh. Electore Bavariæ, & Carolo Lotharingiæ Duce die 14. Auguſti contra Solymannum, Vizirium Turcarum, Karæ Muſtaphæ ſucceſſorem, octogies mille militum ducem, nobilem illam ad Mohazium, (*k*) ubi Ludovicus Rex a Solymanno Sultano A. 1526. cæſus fuit, reportavit victoriam, Ludovicianis manibus quaſi parentaturus. Caſtra Turcarum prope Dardam, cis Eſſeckianum pontem, omnibus rebus inſtructa, a Cæſareanis direpta ſunt. Lævum aciei Chriſtianæ cornu cum Electore tenuerat Ludovicus. Hic cum Piccolomino, quem in auxilium ex cornu ſuo miſerat Lotharingus, opportunum in vicinia locum occupavit, unde prœlii ſors omnis pependit. Cornu hoc Solymannus aggreſſus eſt, ſed infelici ſucceſſu. Elector cum Ludovico audacter verſus hoſtem procedens eum in fugam conjecit. Viginti tria millia Turcarum occiſa; bellicus commeatus omnis cum Vizirii tentorio, quod oppido ſimile, cum caſtris, tormentis bellicis & Cancellaria Turcica in Chriſtianorum poteſtatem pervenit. (*l*) Vizirius per medium Cæſareanorum agmen, temerario, at felici conatu, fuga ſe recepit Eſſe-

(*k*) Vocatur etiam pugna ad Siclos. *Theatrum Europæum* Tom. XIII. p. 10. ſq. Oppidum Siclos quatuor milliaribus a Mohazio diſſitum.

(*l*) Mart. Zeilerus in *Hungariæ* Parte I. pag. 270. Cantimir *Hiſtoire de l'Empire Othoman* Tom. II. pag. 122. Wagner. *Hiſt. Leopoldi* Part. II. Lib. X. pag. 19.

ckium. (*m*) Victoriæ hujus Chriſtianæ victima non modo Vizirius fuit, ſed & ipſe Sultanus, Mahometes IV. die 8. Nov. depoſitus. In locum ejus conſtitutus eſt frater Solymannus, qui ex captivitate quadraginta annorum translatus ad ſolium.

Tum quoque Joſephum, Leopoldi filium, die 9. Dec. ſolio ſuo impoſuit Hungarica natio; quæ a Turcica ſervitute liberata, hereditarium Domus Auſtriacæ ſuccedendi jus bona ſide agnovit. (*n*) Joſephinæ Coronationi Ludovicus noſter, ab Hungarica expeditione redux, interſuit Presburgi, ubi Ludos Equeſtres in honorem novi Regis inſtituit. (*o*)

§. XV.

Expeditione ſequentis anni (1688) militiæ pedeſtris imperium Ludovico commiſſum. Albæ Regalis expugnatio, die 8. Maji facta, expugnationi Albæ Græcæ præluſit. Cæſareanus exercitus, LVII. mille militibus Germanicis conſtans, Hungaricis & Croaticis auctus eſt. Copiarum harum, quæ omnes ardore plenæ, ductor Ludovicus, ſexto Quinctilis pontem apud Valovariam tranſivit; prope Butſchinum aliquandiu conſiſtens. Expeditio Sclavon.

(*m*) *Hiſt. de Prince Ragozi* pag. 93.

(*n*) *Hiſt. d'Emeric Comte de Tekeli* pag. 261.

(*o*) Ludos hos deſcribit Auctor Anonymus *Vitæ Ludovici* pag. 25.

LVDOV. WILH.

At Marchio noſter expedita cum manu per Sclavoniam, (*p*) Siſacum verſus, ad Savum in Croatiam progreſſus eſt, ut Croaticis adauctus copiis, per Savum deſcendens, in Bosniam penetrans trajecto ad Brod am Savo, hanc exercitus partem verſus Belgradum duceret; maior dum ejus pars per alteram deſcenderet. Enimvero ex oppido Sclavoniæ Poſſega tormenta bellica ſecum abducens per montes & valles die 31. Jul. Siſariæ, die 4. Aug. Nardæ, die 7. Siſſaci appulit, ubi Croatis aſſociatis militibus flumen Unnam tranſivit, repulſisque hoſtibus, qui cum exercitu quindecies mille militum ex altera fluvii ripa conſederant; die 15. Caſtanovizam, dein Jaſenewizam, Dubizam, Gradiſcam & Brodam expugnavit. Recedentibus autem magis magisque Turcis, qui prœlio rem committere noluerant, inſignem eorum manum ad Gradiſcam aſſecutus, cecidit. Ad Brodam dein ponte ſternens Savum, variis operibus eum ita munivit, ut fluvius, ab hoſtibus liber, in Cæſareanorum poteſtate maneret, atque adeo in Bosniam tranſitus illis omni tempore pateret. (*q*)

(*p*) Crediderunt multi, expeditionem hanc Ludovico commiſſam, ut ob veteres cum Dunewaldo inimicitias ſeorſim imperaret; ſed ille criminationem hanc re ipſa confutavit. WAGNER. *Hiſt. Leopoldi* Part. II. Lib. X. pag. 55.

(*q*) ZEILER in *Hungaria* Part. I. pag. 276. *Anonymi Vita Ludovici* pag. 29. ſeqq.

§. XVI.

Menſe Septembri in Bosniæ Sclavoniæque confinio, haud procul Terveniza, novam a Turcis victoriam reportavit Ludovicus. Nuncio enim accepto, Tobolium, exercitus hoſtilis in Boſnia Ducem, cum quinque millibus Turcarum ad Derventam (Termand) conſediſſe, veritus, ne munitionibus nondum perfectis, pontem ad Savum invaderent, ipſe Turcas aggredi ſtatuit. Impedimentis ergo in alteram ripam trajectis, & peditatu omni ad tuitionem pontis relicto, cum tribus millibus equitum nocte ineunte profectus, prope Tervenizam, Boſniæ vicum, quindecim mille Turcas invenit, qui conſpecto Chriſtianorum agmine in loco editiore, & natura munito, aciem inſtruxerant. Ludovicus neque hoſtium multitudine, quos numero longe inferiores crediderat, neque loci iniquitate deterritus, per dumos & foſſas ſuos equites duxit ad pugnam. Piccolominum dextræ, Caſtellum ſiniſtræ alæ præfecit. Hanc magno furore aggreſſi ſunt Turcæ, ſed bis repulſi, tertioque magna clade affecti; quinque millibus occiſis, bis mille captis. Ludovicus ipſe ſua manu quinque Turcas occidit. Occiſos inter fuit ipſe Tobolius. Militaria ſigna numero XXX. hoſtibus erepta. Caſtra cum omni bellico apparatu & impedimentis in Ludovici poteſtatem venerunt. Prœlium die

Victoria ad Tervenizam.

5. Sept. commiſſum. (*r*) Ludovicus inde variis Boſniæ urbibus, Banjalucca, Bruſſa & Woritzianis faucibus occupatis, exercitum in hiberna deduxit.

Hæc in Croatia, Boſnia, Sclavonia feliciter Badenſis dum gereret, alter exercitus, Lotharingo & Bavaro Ducibus, ad utramque Savi ripam a tergo ſecurus, Belgradum usque progreſſus eſt. Urbs hæc, vetus Taurunum, nono Auguſti obſideri cœpta, ſexto Septembris capta; Bosnicæ victoriæ, quam pridie illius diei Ludovicus reportaverat, effectus. (*s*)

§. XVII.

Expeditio Bulgarica.

Novum Martis Turcici theatrum Ludovico Badenſi annus 1689. aperuit; quo ille ex Servia in Bulgariam, a Danubio ad Niſſavam tranſtulerat bellum; periculoſo conatu, quod Danubius Cæſareani exercitus hucusque fuerat nutritius pater.

Prudentia bellica duas ille ſibi paravit victorias; unam prope oppidum Niſſam, in Serviæ & Bulgariæ confinio, ad Niſ-

(*r*) Deſcriptionem hujus prœlii dedit Caſtellus Comes in Literis ad Hermannum, Marchionem Badenſem, Vindobonam ſcriptis, quas *Theatrum Europæum* Tom. XIII. pag. 298. exhibet. Adde MART. ZEILERUM in *Deſcriptione Hungariæ* pag. 951. WAGNERUM in *Hiſtor. Leopoldi* Part. II. Lib. X. pag. 56. & Anonymi *Breviarium Vitæ Ludovici*, Germanice ſcriptum, pag. 32. ſq.

(*s*) *Theatrum Europæum* loco alleg. pag. 299.

Digitized by Google

Lvdov. Wilh.

ſavam; alteram ad Danubium prope Widdinum, in Valachiæ limitibus.

Bellum, a Ludovico XIV. Galliæ Rege A. 1688. Germanis illatum, copiarum Imperialium partem vocavit ad Rhenum. Elector Bavariæ & Lotharingiæ Dux, cum exercitu ad illas oras ſunt miſſi. Belli Turcici ſumma Ludovico Badenſi commiſſa eſt ſoli, qui novas jam gloriæ palmas ſuo ductu collegit; Croyaci Duce primas poſt eum bellici Imperii partes tenente. (*t*) Exercitus nonniſi viginti quatuor millium fuit, quibus ille Turcas, numero & opportunitate rerum multo ſuperiores, prœliis, expugnationibus urbium, tranſitu fluminum, in Bulgaria proſecutus eſt, fortuna favente.

§. XVIII.

Victoria ad Niſſam.

Niſſa, quæ & Neſſus vel Naiſſus, verſus Hæmum montem, Serviæ Civitas eſt, ad quam die 24. Septembris ſanguinolenta pugnata eſt pugna, quæ ut poſſet committi, plures præceſſerant pugnæ. Ludovicus ad Semendriam & Sizonizam usque progreſſus, Moravam Calendis Auguſti tranſivit. Fine anni extremum Ludoviciani exercitus agmen Turcæ aggreſſi, graves pœnas dederunt; vel occiſi, vel in fugam conjecti, quod die 29. Auguſti evenit. (*u*) Poſtridie illius diei Ludovicus exercitum

(*t*) Ricaut *Hiſt. de l'Empire Ottomann* Tom. III. pag. 207.

(*u*) Martinus Zeiler in *Hungariæ Deſcriptione* Part. I. pag. 285. *Thea-*

LVDOV. WILH.

Turcicum omnem, qui Jagodinam inter atque Palanckam in caſtris munitis Cæſareanos expectaverat, multis millibus eorum interfectis, disjecit, univerſa caſtra cum 105. tormentis bellicis multisque vexillis occupavit, atque Niſſam verſus proſecutus eſt hoſtem. Ad urbem hanc denique ſeſe fixerant Turcæ, caſtris ad vicini montis ſummitatem usque probe munitis. Ludovicus, dextro cornu hoſtes a tergo in monte aggreſſus, eos deſcendere coëgit. Siniſtrum in planitie verſus Niſſavam flumen ſtetit, eos firmiter expectans. Prœlium die 24. Sept. commiſſum; decretorium ſane, quo militaris prudentia Ludovici ſummum culmen aſcendit. Quadraginta ille Turcarum millia cum ſedecim millibus armatorum aggreſſus, tanta arte pugnam inſtituit, ut poſt cruentum certamen pulſi loco ſuperiore hoſtes, in fugam conjicerentur. Ultra decies mille Turcæ hac pugna ceciderunt. Impedimenta, tormenta cum caſtris & cum urbe Niſſa redacta ſunt in poteſtatem Ludovici victoris. (*x*) Sed & totum Serviæ regnum victoria hac in Cæſaris poteſtate firmatum.

In ipſo Niſſenſis prœlii ardore Ludovico allatæ ſunt literæ, quibus excidium Badæ avitarumque ditionum depopulatio ei nunciata eſt. (*y*)

§. XIX.

trum Europæum Tom. XIII. pag. 639. WAGNERUS in *Hiſt. Leopoldi* Parte II. Lib. XI. pag. 115. ſq.

(*x*) MARTIN. ZEILERUS loco alleg. pag 286. *Theatr. Europ.* l. cit. p. 864. WAGNERUS pag. 118.

(*y*) WAGNERUS *Hiſt. Leopoldi* Lib. XI. pag. 120.

Digitized by Google

§. XIX.

Tum vero rem majoris conſilii animo agitavit Ludovicus; ſecum deliberans, an verſus dives illud Bulgariæ emporium, urbem Sophiam, olim *Sardica* dictam, ubi Vizirius caſtra poſuerat, cum exercitu procederet, atque adeo totius Bulgariæ dominum conſtitueret Cæſarem; an verſus Danubium rediret, loca munita, quæ adhuc in Turcarum manibus erant, ad Nicopolin usque occupaturus. Poſterius hoc prævaluit conſilium. Widdinenſis.

Piccolomino igitur Niſſæ præfecto, feſtinavit Widdinum; ubi novas ad Danubium laureas collegit. Venit eo, videt Turcas & vincit Ludovicus die 6. Octobris, Widdinum expugnat;(z) unoque hoc prœlio Bulgariam ſubigit, Walachiam & Tranſilvaniam Cæſari aperit. Bulgarica hæc omnium bellicarum expeditionum Ludovici pulcherrima fuit, quam ſolus ille ſuo direxit arbitrio; qua Turcicus limes terminatus Nicopoli; Chriſtianus intra ſexennium ad milliaria Germanica centum adauctus.

Inter hæc conjuratio contra Ludovicum Badenſem detecta eſt. Exteri quidam voluntarii milites vivum eum, vel mortuum,

(z) *Theatrum Europ.* loco alleg. pag. 647. Wagnerus Parte II. Lib. XI. pag. 122.

Lvdov. Wilh.

Turcis tradere decreverant. Unus ex conjuratis rem prodidit; reliqui carnificis manu perierunt. (*a*)

Cæſareanorum in Hungaria exercituum tam ſtupendi progreſſus Byzantinam Aulam induxerant, ut de pace reducenda ſerio cogitaret. Coaluiſſet ea, niſi inter conditiones primam poſuiſſet Cæſar, Moldaviæ & Walachiæ ut renunciaret Sultanus. (*b*) Bellum ergo continuatum decennio, nonniſi Carolovicenſi pace A. 1699. finiendum. Exercitum victorem in Tranſilvaniæ & Walachiæ limitibus per hiberna Ludovicus diſpoſuit; ipſe, contracto herculeis laboribus morbo, Hermanſtadium profectus, Caroloſtadienſem Præfecturam Croatiæ, virtutis ſuæ præmium, ab Imperatore accepit. (*c*)

§. XX.

Expeditio Tranſylvan.

Mortuus inter hæc Michaël Apafius, Tranſilvaniæ Princeps; (*d*) filio Michaële relicto, cui faverat Cæſar. Tekelius, Sultano favente, ambiverat Principatum, & cum XXIV. millium exercitu Tranſilvaniam A. 1690. intravit; ſtabilemque pedem ibi figere cœpit. At Ludovicus, confirmata ſuperiore Hun-

(*a*) Rinck *Leben Kayſer Leopolds* Part. III. pag. 916. ad annum 1689.

(*b*) *Hiſt. des Revolutions d'Hongrie* Lib. IV. pag. 128.

(*c*) *Theatrum Europ.* loco cit. pag. 649.

(*d*) Cujus primos regiminis annos expoſuit Jo. Betlenius *Rerum Tranſilvan.* Lib. IV. & Lavrent. Toppeltinus in libello: *Origines & Occaſus Tranſilvanorum* pag. 241.

garia, cum dimidio militum numero intra menſis ſpatium omni Tekelium Tranſilvania expulit. (e) Clauſenburgi Provinciæ Statuum convocavit Comitia, in quibus proſcripti ſunt Tekelii aſſeclæ, qui in Walachiam fugientes, Turcarum & Tartarorum copiis adaucti, nova irruptione in Tranſilvaniam facta, apud Cronſtadium repulſi, ad Walachos redire coacti ſunt. (f)

Ludovico apud Tranſilvanos hærente, Vizirius Niſſam, Widdinum, Belgradum rurſus in Turcarum poteſtatem redegit, atque adeo expeditioni hujus anni impoſuit finem, favorabilem Turcis; apud quos Kiuperlii, Vizirii nempe principis nomen, ab aliquo tempore genti pergratum, ſucceſſibus his multo gratius evaſit. Tali ſub Vizirio Turcici Imperii gloria reſtauranda videbatur. Spes fuit adaucta, cum brevi poſt, mortuo Sultano, (g) Vizirius auctoritate ſua ſucceſſorem ei dediſſet Achmetem II. fratrem defuncti; hebetis ingenii Principem, quem pro lubitu ſuo ſe recturum ſperaverat. Kiuperlius ergo omnes Imperii Turcici vires intendens, a Tekelio conſiliis & armis adjutus, una A. 1691. expeditione unoque prœlio omnem Hungariam Cæſari ſe ereptu-

(e) Cantimir *Hiſt. Othomanne* Lib. IV. pag. 185. Wagnerus Lib. XI. pag. 140.

(f) Anton. Maria Del Chiaro *Iſtoria delle Moderne Rivoluzioni della Valachia* Part. II. Cap. VI.

(g) Solimannus III. die 22. Junii 1691. deceſſit.

LVDOV. WILH.

rum ſperavit. Centies mille armatorum exercitus, eo duce & auſpice, apud Belgradum Julio menſe conſedit.

§. XXI.

Victoria ad Salankem.

Ludovicus cum ſexaginta ſex mille Chriſtianis ad Petrivaradinum confidens, verſus Salankemenum progreſſus, ab hoſte deceptus eſt. (*h*) Vizirius enim celeri itinere caſtra ejus prætergreſſus, Petrivaradinum inter & Ludovicianum exercitum metatus eſt caſtra, ad Danubii ripas; ut omni commeatu, terra advehendo & aquis, intercluderet hoſtes. Aſtuto conſilio reſpondit eventus. Legio tota Buquoii, multis cum ſupplementis legionum, 250. commeatuum carri, ut & centum onerariæ naves a Turcis intercepti ſunt; qui ſucceſſibus his exercitum Chriſtianum quod incluſum tenerent, audaciores ſunt facti. (*i*)

At Ludovici Badenſis animus infractus & conſtans ex anguſtiis his erumpere & per Turcarum cadavera militibus ſuis viam aperire decrevit. Aperuit eam per cædes & ſtrages. Turcæ, dextro Chriſtianorum cornu fuſo, victoriam per bihorium tenuerunt. Reduxit eam cornu ſiniſtrum, Ludovico ductore tandem hoſtes proſternens; tanta cum virtute & fortitudi-

(*h*) CANTIMIR *Hiſt. d'Othomanne* Lib IV. pag. 214.

(*i*) RICAUT *Hiſt. de l'Empire Othomann* Tom. III. pag. 246. ſq.

ne, ut in omni hoc bello nunquam; in alio vix unquam fuerit acrius certatum.

Pugnæ tam memorabilis dies fuit 19. Aug. a tertia hora uſque ad noctem. Ultima ante noctem favit Chriſtianis. Tormenta bellica 158. & decies mille tentoria erepta ſunt Turcis: Turcarum qui in prœlio vel cæſi, vel vulnerati ſunt, numerus ad vicena millia aſcendit. (*k*) Vizirius & Seraskierius aliique duces magno numero perierunt. (*l*)

§. XXII.

Ludovicus Generalis Locumtenens.

Cæſar, Ludovico gratulatus victoriam, ſummum exercituum ſuorum Imperatorem (*m*) eum conſtituit; (*n*) quæ bellicarum dignitatum ſuprema, paucis ante ipſum collata. Piccolominus a Ferdinando III. Imp. eam accepit. Poſt eum Cæſareos exercitus Campi - Mareſchalli Generales, ut vocantur, duxerunt, ad annum uſque 1664, quo Montecuculius, reportata ad St. Got-

(*k*) RICAUT loco alleg. pag. 247. Turcarum jacturam generatim ad 25000. computat. Ludovicus Badenſis in Epiſtola ad Budæ præfectum, d. 21. Auguſti ſcripta, 9000. cæſorum, totidem vulneratorum computavit. LONDORPII *Actorum* Tom. XVIII. pag. 140.

(*l*) CANTIMIR Lib. IV. pag. 214.

(*m*) *General-Lieutenant.*

(*n*) Literæ datæ die 27. Aug. 1691.

LVDOV. WILH.

hardi Fanum contra Turcas victoria, ſublimi eodem axiomate ornatus eſt. Montecuculio mortuo, Carolus IV. Lotharingiæ Dux & Ludovicus Badenſis apicem hunc bellicorum honorum ſub eodem Leopoldo obtinuerunt. Succeſſor ejus Joſephus Cæſar, reportata apud Taurinos A. 1706. a Gallis victoria, Eugenium, Sabaudiæ Principem, eadem militari dignitate decoravit. Conſanguineum hunc ſuum heroem ſedecim annis præceſſit Ludovicus, ætate & honoribus prior; bellica prudentia & virtute æqualis.

Nec immemor uxoris Ludovici noſtri fuit Cæſar Leopoldus, qui prœlio vix finito ex vexillorum, Turcis ereptorum, numero ei duo transmiſit, ut in Domo Badenſi tam glorioſæ victoriæ ſervarentur monumenta.

Hiſtoriam hujus pugnæ Ludovicus victor ad Cæſarem, ad Electorem Brandeburgicum, & ad Præfectum Budæ perſcriſcripſit. (o) Eadem celebrata eſt nummo, quem inter Badenſes exhibemus.

§. XXIII.

Fructus victoriæ.

Broda & Gradiſca ad Savum, Lippa ad Maroſiam, victoriæ præmia, ex ditione Turcarum tranſierunt ad Cæſarem. Hac clade Tekelius magnis excidit auſis; pila inconſtantis fortu-

(o) Extant narrationes hæ in LONDORPII *Actis* Tom. XVIII. pag. 140. & in *Theatro Europæo* Tom. XIV. pag. 5.

næ; faventem quam habere cum crederet, adverſam expertus eſt; nunc Cæſari, nunc Turcis ſuſpectus. (*p*)

Ante prœlium, prœliique initio Vizirius ei non modo Tranſilvanicam Daciæ, ſed & Hungaricam Pannoniæ promiſerat coronam. (*q*)

Turcæ fuga ſe receperunt Belgradum. Ludovicus poſt tam cruentam victoriam milites ſuos Petrovaradinum reduxit; Hungariam Cæſari ſervaſſe contentus. Menſe Septembri, Danubio tranſito, verſus Tibiſcum perrexit; Varadinum Majus obſedit; menſe Novembri arctam obſidionem commutavit in laxam. Urbs die 3. Jun. anni ſequentis in Cæſareanorum manus pactione pervenit. (*r*)

§. XXIV.

Annus, qui tot victorias ſecutus eſt, (1692) minus fervidus fuit. Perpetuæ in Aula Turcica in bellicis & civilibus rebus mutationes, Byzantina incendia, Sultani inertia, Martis retardarunt ardorem. Expeditio A. 1692.

Languorem hunc Turcici exercitus ne in commodum ſuum verteret Badenſis, graves in Hungarico Chriſtianorum exercitu

(*p*) *Hiſtoire d'Emeric Comte de Tekeli* pag. 331.

(*q*) *Hiſtoire des revolutions d'Hongrie* pag. 130.

(*r*) *Anonymi vita Ludovici* pag. 83.

Digitized by Google

Lvdov. Wilh.

graſſantes morbi & valetudo Marchionis adverſa, impediverunt. Utraque pars laſſata bello, cogitavit de pace, pro qua conficienda operam ſuam Britanni Batavique apud Turcas impenderant.

Ludovicus, Danubio relicto, ad Tibiſcum progreſſus, paulo poſt Tibiſco & ipſi valedixit Hungariæ, Vindobonam menſe Octobri contendens. Cæſar anno ſequente eum miſit ad Rhenum, ut ſuum & Imperii exercitum contra Galliam duceret, atque adeo proprios Badæ ſuæ defenderet lares.

§. XXV.

Honores a Cæſare delati.

Ludovicus honoribus & beneficiis a Cæſare cumulatus, bellico conſilio A. 1693. Vindobonæ habito, Majo menſe, interfuit. Poſt diſceſſum ejus allata eſt Aurei velleris torques, quam Carolus II. Rex ex Hiſpania Ludovico noſtro transmiſit. Miſſus regius eum in itinere ſecutus eſt. Eugenius Sabaudiæ Princeps, qui Ludovicum comitatus eſt, torquem collo ejus appendit. (s) Cæſar ei Burgoviæ Marchiam habitandam regendamque conceſſit. (t) Bada cum Caſtro & maxima Marchiæ parte in ruinis jacebat, A. 1689. combuſta. Exercitus Hungarici Imperium Croyaci Dux ſuſcepit, ſucceſſor Ludovici, qui in periculoſa illa, ad-

(s) *Theatrum Europ.* Tom. XIV. pag. 446.

(t) *Ottomanniſche Pforte* Tom. II. pag. 621.

Digitized by Google

LVDOV. WILH.

ſed gloriæ plena Hungarici Martis alea, ſumma cum gloria duo luſtra transegit; recuperator & reſtaurator Hungariæ; cujus limites ultra centum milliaria Germanica ad Tranſilvanos usque adauxit. Verum enimvero Ludovicianæ gloriæ Danubius fuit faventior quam Rhenus. Sed fata novum hoc ei deſtinaverant belli theatrum.

§. XXVI.

Dux belli ad Rhenum.

Anno ſuperiore jam Circuli Svevici Ordines, literis ad Imperatorem ſcriptis, Ludovicum Badenſem ab eo belli ducem petierunt. Petito invitus tandem annuit Imperator; Ludovicum, Turcarum flagellum, ab Hungarico exercitu ægre dimittens. Addita conditio, ut ad Danubium quamprimum rediret atque victricia contra Turcas arma porro proferret. Ludovicus quoque ordinatis Sveviæ rebus A. 1693. rediiſſet in Hungariam, niſi Sveviæ & Franconiæ Ordines, repetitis a Cæſare precibus, obtinuiſſent, ut Gallorum conſiliis invigilaret ad Rhenum. (*u*) Enimvero Ludovicus noſter die 13. Febr. Vindobona profectus, ſuſcepto in Bohemiam itinere conjugem ſuam Schlackenwerdam comitatus eſt. Inde Noribergam ſe contulit, ubi Daniæ Regis, Monaſterienſis

(*u*) *Theatrum Europæum* Tom. XIV. p. 307. 446. ubi literæ quoque Ordinum Sveviæ ad Ludovicum perſcriptæ occurrunt; quibus ad defendendam communem patriam ſubmiſſis precibus eum invitarunt.

Digitized by Google

LVDOV. WILH.

Epiſcopi, Marchionis Baruthini, Principis Oetingenſis, aliorumque Principum legati confluxerant; cum Ludovico de belli gerendi ratione communicaturi conſilia. Norimberga ille profectus eſt Ulmam, ut ibi cum Sveviæ Ordinibus quoque de belli ratione tractaret. (x) Vallum & aggerem jam agitaverat animo, quibus Germaniam tegeret.

§. XXVII.

Vallo tegit German.

Vallum nempe duxit a Rheno ad Nigram Silvam atque Heilbronnam usque, ubi tanta arte caſtra poſuit, ut dextra & ſiniſtra eorum pars, in collibus poſita, bellicis inſtructa tormentis, aditus omnes præcluderent; atque adeo exercitus mediocris, numeroſo & audaciſſimo hoſti inexpugnabilis eſſet.

Galli ad Philippopolin menſe Majo, Lorgio duce, Rhenum transgreſſi, Heidelbergam obſederunt; quam urbem Heidersdorffius, Cæſarei & Circuli Franconici exercituum Præfectus, cum expedita manu inſederat. Ludovicus literis die 16. Maji ſcriptis, ad ſtrenuam defenſionem eum hortatus, promtum ei promiſit auxilium. At triduo poſt urbs cum caſtro in hoſtium manus pervenit. Heidersdorffius, dignitatibus ſpoliatus, morte ſcelus expiavit. Urbs flammis deleta. (y) Lorgius inde

(x) *Ibid.* pag. 447.

(y) *Theatrum Europ.* loco alleg. WAGNERUS *Hiſtor. Leopoldi* Tom. II. p. 251.

Lvdov. Wilh.

verſus Ludovicum progreſſus eſt, ut eum vel ex caſtris ſuis depelleret, vel ad prœlium ineundum adigeret. Sed neutrum evenit. Ter repulſus a tranſitu Neccari, in Wirtenbergicum Ducatum & in Stratam Montanam effudit ſe Lorgius, pluribusque oppidis captis tributa imperavit.

§. XXVIII.

Delphinum rejicit.

Delphinus inter hæc novis cum copiis ex Flandria advenit; Lorgianas aucturus. Junctio ad Neccarum facta die 25, Julii. Ludovicus & ipſe augmentum copiarum die præcedente acceperat; a Saxone Electore & Landgravio Haſſo-Caſſellano adductum. Ludovici caſtra prope Heilbronnam ſtabant ſemper invicta. (z) Elector dextrum, Landgravius ſiniſtrum cornu, Badenſis mediam aciem tenuit. Delphinus in caſtris his aggreſſurus Badenſem die 2. Aug. Nicro trajecto, ſuos eduxit ad pugnam. Sed omnia vel natura vel arte tam bene fortiterque deprehendit munita, ut mutato conſilio ſine pugna receſſerit. (a) Pars Galli-

Cuſus ea occaſione nummus triſtia urbis fata repræſentans; quem exhibet Loon *Hiſtoire metalliqu des Pays bas* Tom. IV. pag. 124.

(z) Caſtrorum ſitum, æri impreſſum, exhibet Auctor *Theatri Europ.* Tom. XIV. pag. 454.

(a) Annotat Feuquieres in *Commentariis ſuis* p. 114. in eo peccaſſe Lorgium, quod e regione oppidi Lauffen oppugnaverit caſtra Badenſis, ubi

Digitized by Google

LVDOV. WILH.

ci exercitus in Belgium, pars in Italiam miſſa. Cum reliquis triginta millibus Lorgius ad Kuppenhemium oppidum, haud procul Raſtadio, conſedit. Badenſis de hoſtium reditu certior factus, relictis prioribus caſtris, Nicrum transivit, atque Heidelberga, quam initio anni occupaverant hoſtes, ceterisque oppidis receptis, Silvæ Nigræ aditum Lorgio præcluſit, atque Mazelium, qui cum valida Gallorum manu ad occupandam Tubingám fuerat miſſus, rejecit. Lorgius paulo poſt exercitum in hiberna cis Rhenum deduxit. Magna gloriæ Ludovici noſtri acceſſio; quod exercitus, imminentes Germaniæ, ipſe copiis longe numero inferior, repreſſit, rebusque infectis in Alſatiam redire coëgit. (*b*) Tantam Ludovicus caſtra metandi ſcientiam præ aliis belli ducibus, poſſedit, ut Turcæ & Chriſtiani eam non ſemel mirati ſint.

§. XXIX.

Conſilia de ſucceſſione Hiſpan.

Hæc dum aguntur ad Rhenum, Ludovicus XIV. imminentem Hiſpaniæ Regis improlis proſpiciens mortem, ſuis juribus invigilans, de diſſolvendo, quod præcipui Europæ Proceres

munitiſſima erant. Addit, eum vel ad Wimpſenam vel ad Neccari Ulmam Neccarum flumen debuiſſe trajicere, ut a tergo Badenſem invaderet; a qua parte caſtra ejus minus fuerant munita.

(*b*) QUINCY *Hiſtoire militaire de Louis le Grand* Tom. II. p. 653. ſqq. *Theatrum Europ.* & WAGNERUS locis allegg. RAPIN THOYRAS *Hiſtoire d'Angleterre* Tom. XI. p. 196. BURNET *Hiſtoire d'Angleterre* Tom. II. p. 110.

Lvdov. Wilh.

adverſus eum contraxerant, fœdere cogitavit. A. 1693. ſingulis fœderatis æquas pacis conditiones oſtentans, inter alia obtulit, ut ſtabiliendæ Belgarum ſecuritati, Belgicæ Hiſpanorum provinciæ, extincto ſine maſcula prole Carolo II., ad Electorem Bavariæ, qui illas tum rexerat Præſes, devolverentur; Auſtriaca ſi conſenſerit Domus. (c) Conſilio hoc Bavarus alienandus a Cæſare; Anglus in Galliæ partes perducendus credebatur. (d) In Aula Hiſpanica gliſcebant tum duæ factiones; quarum una, auctore Portocarrerio Cardinali, Auſtriacum Principem, altera, cujus caput Regina mater, Electoris Bavariæ filium, Joſephum Ferdinandum, Carolo II. ſucceſſorem deſtinabant. Wilhelmus III. Angliæ Rex, una cum Fœderatis Belgis pactione A. 1689. pro Auſtriaco ſe declaraverat Principe. (e) Periculum erat, ne Anglus & Batavi mutarent ſententiam.

§. XXX.

Præcavendæ rei Cæſar Ludovicum Badenſem A. 1693. in Belgium Angliamque ablegavit, qui ſub ſpecie conſiliorum de

Ludovici iter in Angliam.

Dd 3

(c) *Memoires & Negociations de la Paix de Ryswick* Tom. I. pag. 41.

(d) Larrey *Hiſtoire d'Angleterre* Tom. IV. pag. 732.

(e) *Memoires & Negociations ſecrettes du Comte d'Harrach* Tom. I. pag. 27. ſeqq. Fœdus Leopoldi Imp. cum Fœderatis Belgis & Wilhelmo III. Rege

LVDOV. WILH.

bello, ſocios confirmaret in fœdere atque Cæſareæ Domus in Hiſpaniam Belgiumque Hiſpanicum aſſereret jura. Occulte rem tractari voluit Cæſar, ne Regina Hiſpaniæ, detecto conſilio, fortius Bavari cauſſam urgeret. (*f*) Ludovicus noſter die 20. Dec. venit Bruxellas & per octiduum cum Electore verſatus, Calendis Januarii Hagam Comitum abiit, navi vectus curſoria, quam Belgii Fœderati Ordines ei miſerant in occurſum. Cum his per quatriduum de rebus, ad Cæſarem pertinentibus, deliberavit, indeque ad Cantii litora Graveſandam translatus, a loci magiſtratu exceptus, poſtridie, Cotterelio equite, a Rege ad eum obviam miſſo, Londinum intravit; ibique in Regio Palatio, quod in adventum ejus adornari Rex juſſerat, hoſpitio exceptus eſt. Kenſingtonii cum Wilhelmo III. magno illo politicarum & bellicarum rerum Magiſtro, de ſucceſſione Hiſpanica; de rebus ad Imperium Germaniæ ſpectantibus, multos longosque habuit ſermones. Nemo non credidit, ad ineundas modo belli, contra Gallos gerendi, rationes cum Rege, atque communicandi hac ſuper re conſilii ſui cauſſa in Angliam adveniſſe Ludovicum. (*g*) Hic honoribus & muneribus cumulatus, a Rege die 23. Januarii

A. 1689. initum, quo de Hiſpanica quoque ſucceſſione tractatum, exhibet Du MONT *Corps Diplom.* Tom. VII. pag. 229. & 241.

(*f*) *Memoires & Negociations du Comte d'Harrach* pag. 40.

(*g*) LARREY loc. alleg.

Ludov. Wilh.

Kenſingtonio diſceſſit, atque in Belgium redux, Vindobonam contendit, ut de negotii ſibi commiſſi ſucceſſu Imperatorem doceret.

§. XXXI.

Celebratum ab Anglis.

Londinenſe hoc Marchionis iter Anglorum Hiſtorici non parum extollunt; Angliæ ſuæ glorioſum ducentes, quod Imperator, inter Europæ Proceres dignitate primus, tanti fecerit Regem ſuum, ut Ludovicum, Principem natalibus clarum, quo majorem belli ducem illa ætas non viderat, ipſi mitteret legatum. Unde mira animorum alacritate a ſummis infimisque ſuſceptum, omnibus officiorum generibus proſecuta eſt natio. (*h*) In adventum ejus cuſus eſt nummus, in cujus parte adverſa Wilhelmus Rex conſpicitur ante portam palatii, capite adaperto, pileum manu tenens & Ludovico advenienti porrigens dextram. E longinquo ſatellites Regis, cum inſcriptione: Receptio Badensis Londini. Stat femina, digito labia premens; ad cujus pedes Imperii Angliæque Regni comparent inſignia, cum Epigraphe: Junxit Libertas, Auxit Secretum X. Jan. 1694. Inter Badenſes nummum hunc ſuo loco exhibemus.

(*h*) Larrey loc. cit. Rapin Thoyras *Hiſt. d'Angleterre* Tom. XI. p. 196. Burnet *Hiſt. d'Angleterre* Tom. I. p. 124. *Hiſtoire de Guillaume III.* Tom. II. pag. 54.

§. XXXII.

Ludov. Rhenum tranſit.

Redux ex Anglia Ludovicus Heilbronnam & Wirtenbergicum Aſpergæ Caſtrum novis munimentis inſtruxit; continuo inter ſe vallo hæc loca conjungens, a Wirtenbergicis terris ut Gallos arceret. Hi ſub Lorgio Mareſchallo (*i*) ad Philippopolin undecimo die Junii Rhenum tranſgreſſi, ad Bruchſaliam & Grabam caſtra poſuerant. Inde Wislochium delati, occupato Ladenburgo, Neccarum tranſierunt, in Stratam Montanam irruptionem facturi.

Badenſis, collecto ad Sonthemium exercitu, inſecutus eſt hoſtes; quos aſſumtis ad Wislochium Saxonicis copiis, impetu inopinato opprimere ſtuduit. Sed Lorgius, poſt velitationes aliquot, Junii fine, ſe in Palatinatum recepit. Ludovicus autem e regione Philippopolis & paulo poſt ad Durlacum conſedit, novisque copiis auctus, ipſe Rhenum tranſire decrevit. Simulato diverſis in locis tranſitu hoſtibus illudens, die 15. Aug. tribus leucis ſupra Schreckam copias traduxit atque ad Hagenbacum poſuit caſtra

(*i*) Rinckius *in vita Leopoldi Imp.* pag. 1083. aliique Scriptores Germani Delphinum hoc anno cum Lorgio militaſſe ſcribunt; ſed ſilent Gallici Scriptores, Quincius, Hodius, & ipſe Auctor Theatri Europæi &c. qui Lorgii & Ducis de Joyeuſe, Mareſchallorum, modo faciunt mentionem.

caſtra ad Rhenum; (*k*) imperatis per Alſatiam tributis. Subito incremento autem quum creſceret Rhenus, reditu ne intercluderetur, in Germaniam cum exercitu rediit die 22. Sept. (*l*) eo ipſo nimirum tempore, quo hoſtes eum aggreſſuri Lauterburgum acceſſerant. (*m*) Tranſitus hic Rheni, quem felicibus auſpiciis Ludovicus ſuſcepit, a Batavis celebratus eſt nummo, in quo repræſentatur victoria, inter Rhenum, Danubium Moſamque conſiſtens, addita inſcriptione: Petrowaradino Liberato, Huyo Recepto, Rheno Trajecto. Ludov. Wilh.

§. XXXIII.

Continuatum anno ſequente bellum ad Rhenum. Ludovicus cum Ordinibus Sveviæ Franconiæque de modo gerendi deliberavit Noribergæ. Paulo poſt Stutgardiam & Heilbronnam adivit, novis munitionibus & convectis commeatibus Sveviæ ut ſecuritati proſpiceret. Expeditio A. 1695.

(*k*) Creditur id intendiſſe Ludovicus, ut, Gallis interclufis, Argentorati obſidionem aggrederetur. Rinckius in *vita Leopoldi Imp.* Tom. III. pag. 1083.

(*l*) Quincy *Hiſt. militaire de Louis le Grand* Tom. III. pag. 29. ſeqq. *Theatrum Europ.* Tom. XIV. pag. 597. Rapin Thoyras *Hiſt. d'Angleterre* Tom. XI. p. 202.

(*m*) De la Hode *Hiſt. de Louis XIV.* Tom. V. pag. 132.

LUDOV. WILH.

Lorgius die 5. Junii Philippiburgi denuo Rhenum tranſivit; Bruchſaliam inter & Brettam caſtra metatus; Stratam vaſtaturus Montanam. Baruthinus Marchio, adverſam inter Ludovici valetudinem, collecto ad Heilbronnam exercitu Cæſareo, in caſtris ad Sinshemium conſedit. Advenit die 10. Junii Ludovicus Guntzburgo, ex morbo langueſcens, atque accerſitis Haſſiacis & Brunſvicenſibus copiis, quum 50000. armatorum numerum compleſſet, Neccarum prope Gemundam tranſivit, ad pugnam ut alliceret hoſtes. Hi prœlium evitantes verſus Heidelbergam receſſerunt, atque Rheno die 22. Julii ad Manhemium trajecto, inſignem copiarum partem in Flandriam ablegarunt. Badenſis quoque magnam militum manum fœderatis, Namurcum obſidentibus, in auxilium miſit. Quominus tamen Rhenum tranſiret, frequentes hoſtium ſtationes impediverunt. Ita reliqua anni pars, nulla re geſta, tranſivit. (n)

§. XXXIV.

Ludovicus Rhenum tranſit.

Exercitum Gallorum Rhenenſem A. 1696. ægrotante Lorgio Choiſelius, Franciæ Mareſchallus, duxit; qui ad Philippibur-

(n) QUINCY *Hiſt. militaire de Louis le Grand* Tom. III. pag. 156. ſeqq. *Theatrum Europ.* Tom. XIV. p. 754. ſqq. DE LA HODE *Hiſt. de Louis XIV.* Tom. V. pag. 172. WAGNERUS *Hiſt. Leopoldi* Tom. II. p. 288.

gum die 30. Maji Rhenum tranſiens, Brettam petiit, qua Ludovicus ſuum duxerat vallum.

Hic collecto exercitu, reliquas dum expectat copias, (o) inter Sintzhemium, Eppingam & Stebacum, Brettenſis Præfecturæ loca, conſedit, caſtraque tanta arte munivit, ut Choiſelius, qui juſſu Regis ſui fœderatos aggredi debuerat, re infecta ad Philippiburgum, unde venerat, retroceſſerit. Ludovicus, aucto incrementis exercitu, quum ad defenſionem valli Thungium Comitem reliquiſſet, ultimo Auguſti prope Moguntiam Rhenum trajecit; aſſumtoque Haſſiæ Landgravio, qui cum copiis ex Belgio advenerat, Neoſtadium ad Hardam contendit; ad quod oppidum, Spiram verſus, conſederant Galli; ab obſidione Philippiburgi & Landaviæ excluſuri fœderatos. (p) Ludovicus caſtris Neoſtadium inter & Haſelocum, e regione hoſtium poſitis, Hardam, vicinum Neoſtadio Caſtrum expugnavit. Conſilium ejus fuerat, hoſtes intra munimenta invadere, eumque in finem injunxerat Thungio, ut ex ſuperiore Rheni parte impetum in Alſatiam faceret, hoſtes, diviſis copiis pugnantes, ut facilius opprimeret. Sed Galli, depulſo aliquoties Thungio, tanta conſtantia Rheni ri-

(o) Exercitus Germanicus hoc anno ſexaginta ſex millium eſſe debuerat; ſed vix dimidium hujus numeri complevit. De La Hode Tom. V. p. 188.

(p) Philippiburgi obſidionem animo tum agitaſſe Ludovicum, tradit quoque Rapin Thoyras *Hiſt. d'Anglet.* Tom. XI. pag. 281.

pas tutati ſunt, ut ſpe victoriæ abjecta Badenſis, cum Gallorum caſtra per dies aliquot oppugnaſſet tormentis, reditum pararet trans Rhenum; quem ad Wormatiam die 7. Oct. tranſivit. *(q)*

§. XXXV.

Dux exercitus Circulor. Imp.

A.. 1697. quinque Circuli, Rhenanus ſuperior atque inferior, Franconicus, Svevicus, Weſtphalicus, inito Francofurti adverſus Gallos fœdere, ſupremum copiarum ſuarum ducem, Cæſaris conſenſu, Ludovicum crearunt, literisque, die 24. Jan. & die 8. Februarii ad eum datis, ſummam belli & convocandi jus ei tribuerunt. Delatum ſibi munus lubens Ludovicus ſuſcepit, literisque, die 28. Martii ſcriptis, Ordines monuit, ut quæ de cogendo milite Francofurti decreverant, celeriter executioni mandarent; *(r)* quod tamen non factum.

Expeditionis hujus anni initio cum copiis ſuis ad Bruchſaliam conſederat Badenſis, quum Choiſelius Marechallus, ſupremus Gallici exercitus Dux, die 3. Julii prope Fortalitium Ludovici Rhenum tranſiret; Kuppenhemium inter & Raſtadium caſtra metatus. Prope Muckenſturmium oppidum, in hoſtium conſpectu, fœderati quoque ſua caſtra locarunt. Galli, prœlium decli-

(q) QUINCY *Hiſt. militaire de Louis le Grand* Tom. III. pag. 230. ſeqq. *Theatrum Europ.* Tom. XV. p. 13. RINCK iu *Vita Leopoldi* Tom. III. p. 1116.

(r) *Theatrum Europ.* Tom. XV. p. 225. ſq.

nantes, mutatis aliquoties caſtris, ſine denique Auguſti trans Rhenum redierunt.

§. XXXVI.

Ebernburgum expugnat.

Inter hæc Ludovicus Marchionem Baruthinum & Thungium Comitem cum parte copiarum ad Wiſelochium collocaverat, atque Moguntiæ die 24. Aug. tranſiverat Rhenum, Ebernburgi ad Navam Caſtri obſidionem facturus. Ex Caſtro hoc Galli, durante bello, frequentes fecerant eruptiones, atque fœderatis, in Belgium a Rheno ſuperiore euntibus redeuntibusque, intulerant damna. Die octavo Septembris incepta obſidio. Caſtrum poſt vigeſimum diem fœderatis traditum, eodem prorſus tempore, quo de induciis Cæſarem inter Galliæque Regem Riſvici initis, Ludovico nuncius advenit. Reductæ trans Rhenum fœderatorum copiæ. Choiſelius, qui obſervando Ludovico Pfedershemium acceſſerat, in hiberna diſceſſit. (s)

Cunctatio Circulorum, tardus militum ad expeditionem adventus, præcipuorum belli apparatuum defectus, ducum diſſenſus, impedimenta fuerunt, quæ Ludovici ad Rhenum retardarunt progreſſus; (t) id quod paulo ante Carolo Lotharingo quo-

(s) Quincy *Hiſt. militaire de Louis le Grand* Tom. III. pag. 313. ſq. *Theatrum Europ.* Tom. XV. pag. 130.

(t) *Vita Joſephi*, Lipſiæ edita, 1712. p. 46.

LVDOV. WILH.

que eveniſſe comperimus; qui rebus maximis quoque alibi geſtis, exercitum Imperii adverſus Gallos ducens, partam bellica virtute gloriam fere ad Rhenum amiſit. (*u*) Servatæ tamen Sveciæ & Franconiæ laudem Hungaricæ gloriæ Ludovicus adjecit.

§. XXXVII.

Pax Risvic.

Ad Tractatus ille pacis, Risvici inſtitutos, Carolum Ferdinandum de Plittersdorf ex Aula ſua miſit legatum, (*x*) qui, libello die 17. Sept. conciliatoribus Pacis oblato, præter Spanheimenſem Comitatum, Præfecturas Beinheim & Grevenſtein, petiit quoque, ut reſtituantur Marchioni omnia feuda, quæ feudalis Curia Badenſis variis trans Rhenum Nobilibus hucusque conceſſerat; ut & ea, quæ in inſulis Rheni, vel ex alterutra parte fluminis, per munitiones Caſtri Ludovici, aliove modo a Marchicis terris abrupta. Præterea in Luxemburgico Ducatu Rodemacheræ Dynaſtiam cum reliquis, ad eam pertinentibus, repetiit Marchio. Has, ut & Germanicas terras, Inſtrumento Pacis Hiſpanico (*y*) Germanicoque (*z*) recepit. Sed, quam petierat, damni reparationem obtinere non potuit.

(*u*) BASNAGE *Annales des Provinces Unies* Tom. II. pag. 891.

(*x*) Credentiales, quas vocant, Plittersdorfio a Marchione datæ Muckenſturmii d. 18. Jul. extant in *Memoires & Negociations de la Payx de Ryſvic* Tom. III. pag. 411. Poſtulata Badenſia leguntur ibidem p 282.

(*y*) Art. X.

(*z*) Art. XIV.

Digitized by Google

§. XXXVIII.

Candidatus folii Polon.

Durante ad Rhenum bello inter Polonici ſolii vacantis Candidatos quoque Ludovicus comparuit, quem, ob magnitudinem rerum in Hungaria geſtarum, perplures digniſſimum reputabant, qui Sobieskio ſuccederet; victor terrorque Turcarum. Inter conditiones Regis eligendi hæc quoque fuerat, ut debita militibus ſtipendia ab eo ſolverentur. Tanto oneri ferendo impar erat Ludovicus, qui bellicis expeditionibus privatas ſuas opes exhauſerat. Nec deſunt, qui perhibent, Brandeburgicum Electorem Fridericum, Boruſſiæ inter Reges primum, omnes ſumtus in electionem faciendos obtuliſſe Ludovico, ſi Polonicam ei promotus ad ſolium promitteret Boruſſiam. (a) Sed & Daniæ Regem apud Poloniæ Magnates pro Ludovico noſtro eligendo laboraſſe, temporis illius Acta dubitare non ſinunt. Nec deerat commendatio Cæſaris. In ſcriniis Badenſibus litteræ ſuperſunt, quas Leopoldus die 27. Maji ad legatum ſuum in Polonia, Epiſcopum Paſſavienſem, perſcripſit, ut ſi Poloni Jacobum Sobieskium, Carolum Lotharingum, & Neoburgi Ducem, quos prius commendaverat, corona excluderent, commendaret Ludovicum.

(a) *Hiſtoire d'Auguſte H. Roi de Pologne* Tom. I. p. 74. ſq.

§. XXXIX.

Spe ſua excidit.

Enimvero ex Magnatibus Polonicis Ludovico noſtro adhæſerunt non pauci. Sed plerorumque oculos in ſe converterant Contius Princeps & Elector Saxoniæ. Electionis die diviſa inter eos cum eſſent eligentium ſuffragia, Caſtellanus Culmenſis cum reliquarum factionum, quæ ſpe omni exciderant, legatis tractavit, ut acceſſione ſua Saxonis cauſam redderent victricem. Tum vero Brandeburgicus bis centies mille thaleros, in uſum Badenſis ante deſtinatos, Caſtellano numeravit, ut ad promovendam Saxonis electionem diſtribuerentur. Ejus exemplum reliqui legati ſecuti ſunt. Contiani nihilominus prævaluerunt. Saxonici ergo, quibus nullum aliud prorogandi remedium ſupererat, electioni denique ſe renunciaturos profeſſi ſunt, idem ſi facerent Contiani. Magnus coronæ Theſaurarius ad Saxonicos converſus, Ludovicum noſtrum Regem propoſuit. Neutri parti arriſit ſententia. Biſida inſecuta electio; aliis Contium, aliis Saxonem eligentibus, qui denique ſolium conſcendit. (*b*)

§. XL.

(*b*) *Hiſtoire d'Auguſte II.* loco alleg. pag. 112. 115. 119. GOTFRIDUS LENGNICH *Hiſtoria Polona* pag. 278. JO. DAN. CRAMERUS in *Commentariis rerum memorabilium annorum* 1694-1698. p. 176. ſq.

§. XL.

Munimentum Kehl.

Germania, Riſvicenſi pace quieſcens, de Kehlæ munimento, Marchioni noſtro concedendo, in Comitiis tractavit. Anno præcedente jam delegatis Ordinum, Hagæ Comitum pacis cauſa agentibus, per legatum ſuum Plittersdorffium die 21. Oct. propoſuerat Ludovicus, ut in compenſationem damnorum & præmium laborum ab Imperio Kehla ipſi relinqueretur. Legati Ordinum, petitionem juſtam arbitrati, legatis Cæſareis rem fortiter commendaverant. A. 1698. die 30. Martii petitum ſuum in Comitiis Ludovicus repetiit. (c) Naſſovio-Saræpontani Comites quidem, intellecto Badenſis conſilio, interceſſerunt die 18. Julii, aſſerentes, Kehlæ munimentum in agro vici Kehlæ fuiſſe a Gallis exſtructum. Kehla vicus, munimento vicinus, quatuor dominos habet, Badenſem Marchionem, Naſſoviæ Principem, Civitatem Argentinenſem Nobilesque Bœcklinos. Naſſovii partem Bœcklinis dederunt in feudum. Naſſoviorum portio ad eos pervenit cum Lahra, cujus, ut & Malbergæ Dynaſtiæ poſſeſſores fuerunt conjunctim Badenſes, qui alternatim cum Naſſoviis de feudo hoc inveſtiverunt, donec A. 1629. decreta diviſio, vi cujus Malberga & feuda Malbergica,

(c) Acta hæc extant in Fabri *Staats-Cantzley* Tom. IV. Cap. IX. pag. 480. ſq. adde *Theatrum Europ.* Tom. XV. pag. 391.

LUDOV. WILH.

ad Bada-Badenſes; Lahra & feuda Lahrenſia ad Saræpontanos pervenerunt. (*d*)

§. XLI.

Badenſibus ceditur.

Factum tamen eſt Imperii decretum die 22. Dec. quo Ludovico Kehlæ munimentum, feudi nomine ab Imperio conceſſum eſt, ea conditione, ut maſculis ejus heredibus extinctis, ad Imperium reverteretur. Cæſari atque Imperio reſervatum eſt præſidii jus, additumque, ut pacis Weſtphalicæ & Riſvicenſis ſanctiones in munimento hoc obſervet Ludovicus, liberumque adeo religionis exercitium præſidiariis relinquat. (*e*) Sententiam Comitiorum Cæſar firmavit A. 1699. die 7. Martii. Munimentum paulo poſt traditum Marchioni, qui edicto, Auguſtæ die 13. Apr. 1699. ſignato, liberum religionis exercitium, tribus religionibus, in Germania probatis, in munimento hoc conceſſit. (*f*) Inveſtituram Ludovici nomine, Adamus Ignatius Heuniſch A. 1700. a Cæſare accepit Vindobonæ. Litteræ feudales d. 24. Dec. perſcriptæ ſunt.

(*d*) FABRI *Staats-Cantzley* loc. alleg. pag. 484. CRAMERUS in *Commentariis* A. 1698. pag. 13. ſq.

(*e*) Decretum hoc Comitiorum vide in eod. FABRO loco alleg. pag. 493. Auguſtanæ Confeſſionis Ordines ſua interceſſione religioni Evangelicæ proſpexerunt. Vid. SCHAUROTH *Concluſ. Corp. Evangelicor.* Tom. II. p. 85. ſq.

(*f*) Extat in FABRI *Staats-Cantzley* pag. 500. & in *Theatro Europ.* p. 537.

Lvdov. Wilh.

Inter hæc Marchio Bada-Durlacenſis libello d. 31. Dec. exhibito, in Comitiis petiit, ut deficientibus Ludovici maſculis Durlacenſi quoque lineæ concederetur ſucceſſio. Petito huic denuo ſe oppoſuit Saræpontanus die 13. Mart. A. 1699. (g) At Cæſar, litteris 30. Jan. A. 1700. datis, Friderico Magno, Marchioni, & ſucceſſoribus ejus, extincta maſcula Ludovici ſtirpe, ſpem ſuccedendi conceſſit.

§. XLII.

Suſtentatio Kehlæ.

In Comitiis deinceps ſæpius deliberatum, qua ratione duo Imperii munimenta ad Rhenum, Philippopolis & Kehla ſuſtentanda & munienda ſint. Collegium Electorale Franconico, Svevico & Superiori Rhenano Circulis ſuſtentationis eorum onus imponere voluerat. Refragati ſunt reliqui. Conventum eſt denique, Marchioni & Thungio, Philippopolis Præfecto, reſcribendum, ut rerum utriusque Caſtri neceſſariarum laterculum conficerent; ſummamque pecuniæ, munitionibus reſtaurandis adhibitæ, ab univerſo præſtandam eſſe Imperio. (h) Ludovicus ſuam ea de re ſententiam cum Ordinibus ſcripto communicavit. (i) Neque

(g) Acta vide in Fabri *Staats-Cantzley* Tom. IV. pag. 496. ſeq. Cramerus *loco alleg.* pag. 22.

(h) Cramerus in *Commentariis* A. 1699. pag. 18. ſq.

(i) *Theatrum Europ.* Tom. XV. pag. 390.

tamen res ita terminata fuit; ut non identidem querelæ & gravamina nova naſcerentur; Rheno præſertim furente & munimenta arietis inſtar quaſſante. Circulis, a Rheno longinquis, res curæ non fuit. His æquum videbatur, onus viciniores ut ferrent, quos munimenta defendunt. Ludovicus nonnunquam a Senatu Comitiali rogatus eſt, ut ad ruinas reparandas ſumtus ſuppeditaret, donec de tota re tranſigeretur. (*k*)

§. XLIII.

Lis de nono Electoratu.

Revixit inter hæc de nono Germanorum Electoratu controverſia, bellicos inter tumultus quieſcens, & novas vires acquirere cœpit. Erneſtum Auguſtum, Luneburgo-Hannoveranum Ducem, re cum pleriſque ex Electoribus communicata, Leopoldus Imp. A. 1692. Electorali dignitate ornaverat. Sed Trevirenſis, Colonienſis & Palatini Electores, quibus inconſultis res tractata, ut & plerorumque ex ordine Principum animi, vehementer commoti ſunt; auctoritatem eorum, in re tam gravi, neglectam eſſe conqueſti. Antonius Ulricus, Brunſvico Guelpherbytanus Dux, juniorem gentis ſuæ ramum, prætermiſſo ſeniore, ad id honoris evectum indignatus, pleroſque concitavit. Ludovicus noſter, cujus officia non ſatis remuneratus eſt Cæſar, diffidenti-

(*k*) CRAMERUS in *Commentariis rerum memorabilium* A. 1699. pag. 17. ſq.

bus ſe junxit una cum Durlacenſi Marchione. (l) Hannoveranus A. 1692. Vindobonæ cum inveſtiretur Elector, Principes plures menſe Januario anni ſequentis proteſtati ſunt; (m) paulo poſt Ratisbonæ coëuntes in fœdus, quod 1695. Francofurti firmatum. (n)

§. XLIV.

Conventus Goslar. & Norimb.

Magnis animorum motibus res cœpit agitari A. 1700. poſtquam Colonienſis, Trevirenſis & Palatinus Elector, deſerta Principum cauſſa, in novi Electoratus erectionem conſenſiſſent. (o) Habitus menſe Februario Goslariæ Conventus, in quo fœderati, publicis Ratisbonæ conſiliis ſe non interfuturos, declararunt, ni-

Ff 3

(l) Ludovicum noſtrum & Guelferbytanum Ducem præcipuos turbarum de novo Electoratu auctores deſignat Auctor ſcripti apud Thucelium in *Ræmiſchen Reichs Staats-Actis* ſeculi XVIII. Tom. I. Cap. 7. pag. 618. Ludovicus tamen non niſi poſt pacem Riſvicenſem diſſidentibus ſe conjunxiſſe videtur. Inter fœderatos enim, qui literas ad Cæſarem Ratisbonæ ſignarunt d. 23. Jul. 1692. nulla ejus injicitur mentio. *Theatrum Europ.* Tom. XIV. pag. 324. Silet eum quoque Cortreius in *Obſervatis Hiſtorico-Politico-Jurid. de novo Electoratu* pag. 9.

(m) Cortreius loc. alleg. pag. 26.

(n) *Theatrum Europ.* Tom. XIV. pag. 313. & 792. & Fabri *Staats-Cantzley* Tom. V. pag. 239.

(o) Decretum d. 18. Nov. A. 1699. factum exhibet Cortreius p. 36.

Digitized by Google

LVDOV. WILH.

ſi abolitis querelis, quas, miſſa legatione, Cæſari expoſuerunt. Agitatior fuit Norimbergenſis Conventus, quem inſequente Julio menſe celebrarunt fœderati. Omnia ibi ad mutuam defenſionem ordinata. Decretus XXIV. millium armatorum exercitus, quem neceſſitate urgente fœderati ſe duplicaturos profeſſi ſunt. (*p*) Cæſaris reſponſum, delegatis Principum hac ſuper re datum, quum non arriſiſſet plerisque, Wirtzburgenſis, Monaſterienſis, Saxonici duo, Guelpherbytanus, Holſaticus, legati, una cum Bralliardo, Ludovici noſtri, & Hartmanno Fiſchero, Durlacenſi legato, renitentibus reliquis, ad Galliæ Regem, Pacis Weſtphalicæ vindicem, ſibi confugiendum cenſuerunt. Decreto Norimbergæ facto die 5. Aug. Chamojum, Gallicum ad Comitia Imperii legatum, rogarunt, ut totius rei nuncium ad Regem perferret.

§. XLV.

Interceſſio Gallica & Svec.

Rex Galliæ de abolendo nono Electoratu in Comitiis per Chamojum & per Villarſium Vindobonæ apud Cæſarem egit. (*q*) Sed Cæſar ſalva conceſſione ſua, quam fecerat, nihil aliud Prin-

(*p*) Receſſus uterque Goslarienſis & Norimbergenſis cum reliquis actis, huc ſpectantibus, extat in FABRI *Staats-Cantzley* Tom. V. Cap. 6. & 15. & in *Actis publicis de nono Electoratu* apud CORTREIUM pag. 85. ſq.

(*q*) Acta ſingula exhibet idem FABER loco alleg. & *Theatrum Europ.* Tom. XV. p. 711. ſq.

Ludov. Wilh.

cipibus largitus eſt, quam ut ſolennitatis gratia res denuo in Principum tractaretur Collegio, atque publica lege caveretur, ne in poſterum abſque omnium Ordinum conſenſu Electoratus erigeretur. (r) Nec opimiores conditiones impetrare potuit Sveciæ Rex, cujus interceſſionem, ſuadente Gallorum Rege, quoque imploraverant fœderati. (s) Hi Majo menſe anni MDCCI. denuo convenerunt Francofurti, ut de fœdere cum Gallis faciendo, communicarent conſilia. Ludovicus XIV. ad Conventum hunc quoque miſerat legatum. Binderus, Cæſaris legatus, variis promiſſis denique rem eo perduxit, ut fœderati ad Comitia ſe redituros, atque in controverſia de ſucceſſione Hiſpanica nullius ſe amplexuros eſſe partes pollicerentur. (t) Ab hoc tempore ſenſim ſenſimque mitigati ſunt Principum animi. Sub Cæſare Joſepho in Comitiis A. MDCCVI. certa ſub lege ab illis agnitus eſt nonus Elector. (u)

§. XLVI.

Interceſſio Gallica in hoc gravi negotio non parum offenderat Cæſaris Aulam, quæ Ludovicum Badenſem, ad ſenten- Ludovici de Cæſare querelæ.

(r) Fabri *Staats-Cantzley* Tom. V. p. 285. ſq.

(s) Thucelius *Acta publica* Tom. I. Cap. 7. p. 625.

(t) Acta hujus Conventus exhibet Fabri *Staats-Cantzley* Tom. VI. Cap. 4. Thucelii *Acta publica* Tom. I. Cap. 7.

(u) Acta publica de nono Electoratu apud Cortreium in *C. J. Publici* Tom. IV. p. 129.

LUDOV. WILH.

tiam ſuam non abſque minis identidem revocare laboravit. Sed ille, propoſiti tenax, Schlackenwerda, ubi tum morabatur apud Bohemos, ad Greiffium Baronem, Aulæ ſuæ Marechallum, die XX. Octobris A. MDCC. ſcripſit Vindobonam; illi diſerte injungens, ut Locumtenentis Generalis Cæſarei dignitatem nomine ſuo in Imperatoris manus reſignaret. Addit Marchio, non poſſe ſibi vitio verti, quod Principatus ſui jura, quovis modo defendat. Dignitatem, a majoribus acceptam, ſibi omni pretio eſſe cariorem; nec admiſſurum ſe, ut ea, tot ſeculis illibata, Electorum Imperii exponatur ludibrio: bellicam dignitatem, a Cæſare ſibi collatam, a Principis Imperii dignitate multum differre; easque res a Cæſare male confundi. Conqueritur acriter, poſt maxima in Domum Auſtriacam merita; poſt XX. expeditiones bellicas, cum laude ſuſceptas, quibus ſuas quoque fortunas everterit, nullam a Cæſare ſe gratiam retuliſſe. Connivente eo occupatum ab Hannoverano Lauenburgicum Ducatum; Hadelenſem terram a Cæſare ut ſequeſtre detineri; licet utriusque poſſeſſio dimidia ex parte, conjugi ſuæ Franciſcæ Sibyllæ debeatur. In electione Regis Poloniæ ſe neglectum a Cæſare; promiſſas ſibi, bello finito, penſiones caruiſſe effectu, rerumque ſuarum nullam plane habitam eſſe rationem. Aliorum Principum, qui ad Auſtriacæ Domus incrementa nihil contulerint, dignitatem augeri, ſuamque diminui. Concludit denique, ſibi conſultius videri, ut bellicum

mu-

LVDOV. WILH.

munus, a Cæſare acceptum, deponat, quam libero Imperii Principe indigna committat. (x)

§. XLVII.

Cum eo redit in gratiam.

Enimvero imminens Europæ bellum, Carolus II. Hiſpaniæ Rex, morti vicinus, ſi decederet, prævidit Marchio. Prævidit, quanto belli duces experti mox habendi ſint pretio. Nec conjectura ſane Ludovicum fefellit. Duodecimo enim, poſtquam literas has ſcripſerat, die Carolus Hiſpanus, Auſtriacæ ſenioris lineæ poſtremus, deceſſit; nova belli materia.

Exacerbatum Ludovici noſtri animum omni modo Cæſar mitigare & ad ſuas partes reducere laboravit. Ineunte A. MDCCI. ab eo vocatus eſt Vindobonam, ubi Hiſpaniæ Regis obitus & Gallorum de occupando illo Regno conatus Aulæ Cæſareæ commoverant animos. Ludovicus, bellicis Imperatoris conſiliis præſens, bellum non facile ſuaſit, ſed difficultates ejus atque pericula magna cum gravitate expoſuit; (y) Cæſaris utilitati magis, quam bellicæ ſuæ gloriæ inſerviens. Bel-

(x) Literæ hæ leguntur in MOSERI *Continuatione Chronici Sueviæ* CRUSII Tom. II. pag. 599. in FABRI *Staats-Cantzley* Tom. V. pag. 649. in *Actis publicis* apud CORTREIUM *Corp. Jur. Publ.* Tom. IV. pag. 95. in *Vita Joſephi*, quæ Lipſiæ prodiit A. 1712. pag. 211.

(y) *Theatrum Europ.* Tom. XVI. p. 57.

LVDOV. WILH.

lum tamen prætulit Cæſar. Miſſus eo anno ſub Eugenio duce in Italiam exercitus.

§. XLVIII.

Cæſaris munera.

Saucium Ludovici animum ſibi deſponſurus Cæſar, Provincialem Ortenaviæ Præfecturam ipſi & ab eo deſcendentibus maſculis in feudum contulit Vindobonæ. Eidem, ut ſupremo exercituum Cæſareanorum duci, menſtruam quinquaginta millium florenorum penſionem, durante bello, deſtinavit; addita lege, ut ejusdem ſummæ dimidia pars, ob Imperialium ad Rhenum munimentorum curam, tempore pacis ei quoque exſolveretur. (z) Poſtremo curaturum ſe Cæſar promiſit, ut conjugis ejus, Franciſcæ Sibyllæ, in ſucceſſionem Lauenburgicam jurium ratio ſine mora habeatur. (a) Ludovicus menſe Majo Vindobona reverſus eſt domum. Reduci Diploma die 16. Junii allatum, quo Cæſareani in Germania exercitus renuntiatus eſt Imperator.

Eodem tempore Circuli Bavarici Ordines, Waſſerburgi convenientes ad Oenum, Franconici Svevicique Circulorum exemplo, Ludovico noſtro, propter officia, ſuperiore bello præſti-

(z) Titulo *Gubernatoris generalis.*

(a) *Theatrum Europ.* loc. alleg. pag. 60. Unde eodem anno prodiit ſententia, Marchioni favens, cujus mentionem facimus infra in vita Franciſcæ Sibyllæ.

LVDOV. WILH.

ta & accepta in terris Marchicis damna, remunerationis loco, decem in ſingula familiæ capita decreverunt florenos. (*b*)

§. XLIX.

Bellum ob ſucceſſ. Hiſpan.

Bellum de ſucceſſione Hiſpanica anno hoc in Italia quum cepiſſet initium, quinque Circuli Germaniæ, Franconicus, Svevicus, uterque Rhenenſis atque Bavaricus, ob imminentem ex Gallia tempeſtatem, defenſionis mutuæ fœdus, quod jam anno ſuperiore duo priores Circuli Heidenhemii contraxerant, (*c*) communibus tabulis Heilbronnæ ſignarunt menſe Auguſto. (*d*) Ludovicus, ſecuritati proſpecturus Germaniæ, antequam bellum Germanos inter Galloſque ardere inciperet, munitiones a Rheno ſuperiore ad inferiorem ducendas eſſe ſtatuit; probatoque Cæſari & Sueviæ Ordinibus conſilio, fortiter aggreſſus eſt opus. Sed eunctati ſunt Francones, metu Gallorum, donec gravibus Leopoldi & Marchionis noſtri Ludovici, Ordinumque Sveviæ literis moniti, (*e*) officii atque ſalutis ſuæ rationem habuerunt. In Cir-

(*b*) *Theatrum Europæum* Tom. XVI. pag. 12. & 19. & FABRI *Staats-Cantzley* Tom. VI. pag. 308. & 364.

(*c*) *Heydenheimiſcher Aſſociations-Receſs.*

(*d*) Utriusque fœderis tabulæ leguntur in FABRI *Staats-Cantzley* Tom. VI. Cap. 7.

(*e*) Literas has exhibet *Theatrum Europæum* loco alleg. pag. 34. ſq. & FABRI *Staats-Cantzley* Tom. VI. pag. 375. 381.

LUDOV. WILH.

culo quoque Rhenano ſuperiore, ad quem Ludovicus die 8. Oct. literas dederat, res non ſine difficultate transacta. (*f*)

§. L.

Obſidium Landaviæ.

A. 1702. menſe Majo Cæſar & Anna, Angliæ Regina, una cum Ordinibus Belgii fœderati Ludovico XIV. bellum declararunt. (*g*). Magno huic fœderi quinque primum Germaniæ Circuli, (*h*) denique univerſum acceſſit Imperium. Decretum in Gallos bellum Ratisbonæ die 30. Sept. (*i*) Placitum publicavit Cæſar die 6. Octobris. (*k*) Ante clarigationem Ludovicus, Rheno trajecto, ad Langencandelium poſuerat caſtra initio veris, & Weiſſenburgo, Lauterburgo, Billighemio, aliisque in vicinia locis occupatis, ad obſidionem Landaviæ ſibi viam paraverat. In Palatinatus & Epiſcopatus Spirenſis ditionibus annonam & commeatum omnem collegit, ut ignaros conſilii ſuſcepti hoſtes perculeret. Obſidium, in conſilio bellico a Cæſare decretum, a

(*f*) Literæ ad Circulum Rhen. ſuper. extant in *Theatro Europ.* loco alleg. p. 35.

(*g*) DUMONT *Corps Dipl.* Tom. VIII. pag. 115. LAMBERTY *Memoires* Tom. II. p. 107. 113. 114.

(*h*) Superior & Inferior Rhenanus, Auſtriacus, Franconicus, Svevicus, jam ante inter ſe fœdere juncti. Tabulas acceſſionis exhibet THUCELIUS in *Actis Seculi XVIII.* Tom. II. Cap. 15. & LAMBERTY Tom. II. p. 137.

(*i*) THUCELIUS loco alleg. Cap. 18. pag. 711.

(*k*) Idem pag. 730. FABRI *Staats-Cantzley* Tom. VII. Cap. 13. p. 665. & 707.

Digitized by Google

LVDOV. WILH.

Ludovico inchoatum eſt die 16. Junii. Res ut felicius procederet, Joſephus, Romanorum Rex, in caſtris ad Landaviam Vindobona die 27. Julii advenit. Urbs egregiis munitionibus a Vaubanio inſtructa, fortiter defenſa eſt a Melaco, Regiorum exercituum Legato, qui cum tribus Gallorum millibus præſidium urbis agebat.

§. LI.

Deditio urbis.

Catinatius quidem, Francici exercitus dux, motis Weiſſenburgum verſus caſtris, auxilium obſeſſis ferre decreverat. Sed adventante cum copiis Ludovico Marchione, re infecta diſceſſit. Mirantur Scriptores bellicam artem, qua ille aditus omnes ita inſederat, ut de introducendis in urbem auxiliis, fruſtra laboraretur. (*l*) Lorica exterior foſſæ (contreſcarpe) die 16. Aug. pulſis Gallis occupata. In expugnatione Sueſſionenſis Comes, Eugenii Principis frater, aliique primi ordinis militares viri ceciderunt. (*m*) Caſtellum, civitatem tegens, die 9. Sept. impetu captum. Poſtridie urbs ipſa in Romanorum Regis poteſta-

(*l*) LA HODE *Hiſt. de Louis XIV*. Tom. V. pag. 363. GATIEN DE COURTILZ in libro cui tit. *Memoires du Marquis D* ſur la guerre d'Eſpagne de Bavière & de Flandre* Tom. II. pag. 24.

(*m*) LA HODE loc. alleg. pag. 364. & *Theatrum Europæum* Tom. XVI. p. 651.

tem pervenit. (*n*) Prodiit nummus, Landaviam exhibens & Aquilam Imperii, cum inſcriptione: CAESAREO AUSPICIO, REGIS VIRTUTE, BADENSIS FELICI DUCTU, GALLO EST EX UNGUE RETRACTA. (*o*)

Joſephus, occupata Landavia, menſe Octobri in Auſtriam rediit.

§. LII.

Gallorum conſilia.

Inter hæc Bavarus Elector, fœdère cum Gallis facto, Ulmam (*p*) & vicinas Sveviæ civitates armis ſuis occupavit. Arduum hoc Bavari conſilium bellicas Ludovici rationes mutavit; qui omnibus modis impediendum eſſe ratus eſt, ne copiarum Bavaricarum cum Gallicis fieret conjunctio. Catinatius, ſupremus Gallorum exercitus dux, Villarſium, Regiorum exercituum Legatum, cum maxima copiarum parte ex Inferiore Alſatia miſit verſus Huningam; ut tranſito ibi Rheno cum Bavaris iunctionem tentaret. Ludovicus Badenſis interceptis Ricoultii, Francici apud Bavarum legati, litteris ad Chamillardum ſcriptis, conſilium Aulæ Gallicæ intelligens, omnem operam impendit, ut a

(*n*) Leges deditiones exhibet LAMBERTY *Memoires* Tom. II. p. 202. & *Theatrum Europæum* loco alleg. pag. 652.

(*o*) VAN LOON *Hiſt. Metalliq. des Pays-bas* Tom. IV. pag. 386.

(*p*) Ulma die 8. Sept. inopinato impetu capta; quo ipſo Landaviam ſe liberaturos ſperaverant Galli, ſed fruſtra. *Memoires du Marquis D** Tom. II. pag. 30. & 34.

Rheni tranſitu prohiberet Villarſium. Catinatio itaque Thungium Comitem opponens, Hagenoam, Biſchvillam, aliaque loca, a Gallis relicta, munivit præſidiis; ipſe cum exercitu, ſupra Argentoratum tranſiens Rhenum, die 22. Sept. e regione Huningæ ad Fridlingam conſedit; aliquot diebus antequam Villarſius Huningam advenerat, ibique vallo munire ſe cœpit. Fridlinga Ludovicus copias ad Nigram Sylvam dimiſit, quæ Bavaros prohiberent a tranſitu. Villarſius Rheni ripam, Huningæ oppoſitam, una cum interjacente inſula, parte operibusque munivit. Inter hæc Neoburgi civitas ad Germanicam Rheni ripam ſeptem leucis infra Huningam ſita, a Laubanio, exercituum Gallicorum Legato, Briſaci Præfecto, d. 13. Oct. ſubito impetu, Cæſareis ejectis, occupata eſt.

§. LIII.

Ludovicus Badenſis, nuncio accepto, veritus, ne Gallis eo loco Rhenum tranſituris, ipſe intercluderetur commeatu, quem Friburgo accipere ſolebat, cum parte copiarum Neoburgum verſus die ſequenti progredi decrevit. Vix ingreſſus eſt iter die 14. Oct. ſummo mane, quum Villarſius cum copiis ſuis apud Huningam Rhenum tranſivit. Badenſis, ab itinere inſtituto regreſſus, equitatum prope Fridlingæ Caſtrum, milite præſidiario inſtructum, & peditatum in editiore colle vicino, arboribus conſito, ubi S. Odiliæ

Prœlium ad Fridlingam.

Eccleſia & vicus, (q) collocavit. Bordius (r) copiarum legatus, a Villarſio miſſus, tanto ardore peditatum aggreſſus eſt, ut magna utrimque cædes committeretur, in qua Bordius periit. Germani reſtaurata ter pugna, quinque tormenta denique reliquerant Gallis, qui tamen Bordio cæſo, non ſatis caute deſcenderunt collem, a tribus turmis, quas Ludovicus noſter in auxilium miſerat, non parum turbati. Equeſtris ergo pugna ſucceſſit pedeſtri. Uterque equitatus, dum in monte pugnaretur, in planitie ſpectator conſtiterat. Badenſis tandem Magnacum, Campi-Mareſchallum, aggreſſus eſt, magno ardore; ſed poſt acre certamen, cum vincere non poſſet, receſſit. Magna utrinque cædes in planitie & in colle. In colle Carolus Wilhelmus, hereditarius Durlacenſis Princeps, vulneratus vix vivus evaſit. Biduo poſt Caſtrum Fridlingæ, (s) a quo pugna nomen accepit, Villarſius occupavit. Prœlii dies eſt XIV. Octobris in Badenſium terrarum Annalibus memorabilis.

§. LIV.

Reditus Gallorum.

Poſt prœlium Villarſius per jocum dicebat: Legatus Franciæ in ludo chartarum Vindobonæ Ludovicum Badenſem non ſemel

(q) Vulgari ſermone TULLICKEN.
(r) Des Bordes, Lieutenant-General.
(s) Fridlinga Caſtrum eſt Domus Bada-Durlac. e regione Huningæ; de quo vide Tom. I. pag. 388.

Digitized by Google

mel devici. A legatione diſcedens idem me in alea Martis facturum ei diſerte promiſi. Ludovicus recedens copias ſuas apud Stauffam, Briſgoviæ oppidum, collegit, victoriam, dubiam reddere quam voluerat Gallis, (t) nova ut everteret pugna. Sed Villarſius Inferiorem in Alſatiam regreſſus eſt: junctione cum Bavaris in aliud tempus rejecta. Villarſius ergo vicit, ſed victoriæ fructibus ne frueretur, Ludovicus proſpexit, qui brevi poſt omnem exercitum ſuum tripartito diviſit. Pars Nigræ Sylvæ impoſita, Gallorum cum Bavaris ut impediretur conjunctio. Aliam ad recuperandum a Gallis Neoburgum deſtinavit. Tertiam Principi Meinungenſi, quem Tallardus ad Moſellam urgebat, in auxilium miſit. (u) Villarſius copias, Catinatio ad Argentoratum relictas, cum ſuis conjunxit; apud Tabernas Alſati-

(t) Ludovici Badenſis Literæ ad Leopoldum Imp. extant in *Theatro Europæo* Tom. XVI. quibus rem dubiam facit, Gallisque victoriam non adſcribendam eſſe docet. Conf. *Memoires du Marquis D** Tom. II. pag. 35. P. Barre *Hiſtoire d'Allemagne* Tom. X. pag. 418. ſeq. Rousset *Hiſtoire Militaire de Prince Eugéne* Tom. II. pag. 63. victoriam Ludovico adſcribit, quem, pulſis Gallis, loco potitum eſſe contendit; ſed recedente equitatu, ab hoſtium perſecutione abſtinuiſſe Badenſem.

(u) *Memoires du Marquis D** pag. 37.

Digitized by Google

LVDOV. WILH.

caſ confidens, ut Badenſem, qui relicta Brisgovia in Alſatiam redierat; ab aditu Lotharingiæ intercluderet. (x)

§. L V.

Ludov. vallo ſe continet. A. 1703. Galli de transferendo in ſinum Germaniæ bello cogitarunt; ut Electori Bavariæ, ſocio laboranti, ferrent auxilia. Villarſius in vicinia Argentorati duobus pontibus factis, cum valido exercitu Rhenum tranſiens Kehlæ obſidionem die 25. Febr. aggreſſus eſt, ad Nigram Sylvam ut ſibi patefaceret aditum. Ludovicus, viribus impar, ab Offenburgo & Kinzinga amne, quem variis operibus muniverat, Stolhovium verſus & Bühlam intra vallum ſe recepit, quod a Rheno Stolhovium & inde per Bühlam usque ad montes perduxerat; interiora Germaniæ ut ſarta tecta manerent; Gallorumque cum Bavaris ut impediret junctionem.

Raſtad. Palatium. Vallum hoc A. 1701. cœptum, (y) tam ſingulari arte Ludovicus munivit, ut nonniſi eo mortuo (z) expugnari potuerit, maximis licet viribus illud invaſerint hoſtes. (a) Tantam in vallo hoc fiduciam poſuerat, ut eo ipſo tempore, medios inter belli

(x) QUINCY *Hiſt. Militaire de Louis le Grand* Tom. III. pag. 595. ſq.

(y) Vid. ſupra ad A. 1701.


(z) Expugnatum eſt hoc vallum A. 1707. a ut infra dicetur.

(a) QUINCY loco alleg. Tom. IV. p. 44. & Tom. V. p. 290.

Digitized by Google

242a

RASTADII ICHNOGR




Digitized by Google

Digitized by Google

2.330 vol III

242 b (2)



Digitized by Google

Digitized by Google

furores, pulcherrimi illius Raſtadienſis Palatii exſtructionem continuaverit, in quod XII. milliones impendit. Palatium hoc, Pace Riſvici facta inchoatum, ſub finem vitæ Ludovici opus decennale fere perfectum. Ludov. Wilh.

§. LVI.

Ad inopinatam hanc Gallorum irruptionem omnis contremuit Germania. Ludovicus in litteris ad Epiſcopum Paſſavienſem, Romanæ Eccleſiæ Cardinalem, qui Commiſſarii Principalis Cæſarei vices Ratisbonæ agebat, de defectu copiarum & apparatuum bellicorum multa conqueſtus, ea, quæ contigerunt, prævidiſſe ſe ſcribit; nec aliud jam ſibi ſupereſſe conſilium, quam ut, copiis plerisque Kehlæ impoſitis, tractuque Rhenum inter & Nigram Sylvam relicto, intra Bühlenſe ſe recipiat vallum. Addit, Germaniæ ſalutem Villarſii imprudentiæ deberi, qui contra bellicas artes in oppugnanda Kehla ſuum tempus conſumat: neque hoſti tam potenti potuiſſe reſiſti; ſi Kehla neglecta debilem ſuum impugnaſſet exercitum; quo proſtrato facile quoque oppreſſa fuiſſent auxilia, quæ hinc inde ad eum tranſire debuerant, adeoque omnis Germania ſuperior hoſti fuiſſet aperta. Hortatur denique Ordines, Ratisbonæ agentes, ut ad celerem ſe defenſionem accingant. In eandem ſententiam Ludovicus perſcripſit ad Sveviæ Ordines, illis graviter injungens, ut ſine cunctatione Ni- Literæ ad Ordines.

græ Sylvæ imponant præſidia, & ad defendendam præſertim Kinzingæ vallem, quantascunque poſſint colligere copias, Comiti Fürſtenbergio mittant. (*b*)

§. LVII.

Villars. Vallum aggreditur.

Kehla die 9. Martii in poteſtatem redacta, (*c*) Villarſius Stolhova-Bühlenſe vallum menſe Aprili adoriri decrevit; ſperans fore, ut eo disjecto & proſtrato Badenſi, arma victricia per univerſum circumferat Imperium. (*d*) Ludovicus vix X. mille tum habuerat milites & VII. tormenta. In Comitiis tamen centum viginti millium exercitus fuerat decretus. Anglorum & Batavorum legati apud Ordines Imperii identidem conqueſti ſunt, nullam rei communis bellicæ haberi rationem. (*e*)

In hoc rerum diſcrimine copias Batavorum Ludovicus accivit, quæ Goorio Duce in Weiſſenburgenſi vallo conſtiterant, Landaviæ præſidio ut eſſent adverſus Tallardum, qui cum alio Gallorum exercitu ad Rhenum conſederat.

(*b*) Literæ hæ extat in FABRI *Staats-Cantzley* Tom. VIII. p. 422.

(*c*) Leges deditionis exhibet LAMBERTY *Memoires* Tom. II. pag. 580. Adde *Theatrum Europæum* Tom. XVI. Part. 2. pag. 34. & DE LA HODE *Hiſt. de Louis le Grand* Tom. V. pag. 373.

(*d*) Vid. *Campagne de Mr. de Villars en Allemagne* l'an 1703. Tom. I. p. 23. 30. & 31.

(*e*) *Theatrum Europ.* loc. alleg. p. 43. Add. FABRI *Staats-Cantzley* Tom. VIII. pag. 441. ſeq.

§. LVIII.

Villarſius die 19. Aprilis cum copiis ſelectis Blainvilium miſit, ut haud procul Bühla montem conſcendens, a tergo Cæſareanos aggreſſus, loco eos opportuno dejiceret. Sed ille rem periculi plenam intelligens, re infecta diſceſſit. Paucis interjectis diebus, Villarſius ipſe Badenſem a fronte fortiter oppugnare decrevit. Sed aliquoties repulſus, nonnullis ſuorum millibus amiſſis, ſpem valli rumpendi abjecit; præſertim irruentibus aquis, quibus vallum ſuum Ludovicus muniverat. (f) Ludovicus ad Paſſavienſem Epiſcopum, Cæſaris Legatum, & ad Comitia Ratisbonenſia de Gallis repulſis ſcribens, diſerte profitetur, vallo Bühlenſi, totum ſe Imperium ipſamque Auſtriacam Domum magno liberaſſe periculo; tranſitumque Nigræ Sylvæ vix alia parte Gallos tentaturos eſſe, obſervat; quod indole locorum, vel mu- Repulſus.

(f) Singula hæc exacte deſcribit LAMBERTY *Memoires* Tom. II. p. 582. ſeq. *Theatrum Europ.* loc. alleg. pag. 44. RINCK in *vita Leopoldi* pag. 1448. Adde *Campagne de Mr. de Villars* Tom. I. p. 25. 29. 47. Exiſtimaverant Galli, Badenſem, viribus ſuis diffiſum, primo ſtatim impetu derelicturum eſſe vallum. Villarſius in Legatos exercitus ſui eventus hujus culpam conjecit, ſcriptisque ad Regem literis profeſſus eſt; rem ſibi ab illis ita fuiſſe propoſitam, ut non perdifficilis videretur.

Digitized by Google

LVDOV. WILH.

nitionibus opportune diſpoſitis, imperviæ redditæ ſint montium fauces. (*g*) Repetitis enim literis Ordines monuerat Ludovicus, ut omnes aditus arborum dejectu præſidiisque munirent. (*h*) Et tamen res molliter ab illis peracta. (*i*)

§. LIX.

Bavaro jungitur.

Villarſius, ineunte Majo, per Kenzingæ vallem, per montium abrupta, occupatis, Hauſenæ & Hornbergæ munimentis; & pulſis ubique militum ſtationibus, exercitum ad Villingam usque transduxit. (*k*) Trajecto inter hæc Rheno Tallardus prope Offenburgum poſuerat caſtra; impediturus Ludovicum, Fürſtenbergio Comiti ne mitteret auxilia. (*l*) Ludovicianus exercitus, poſt diſceſſum Batavorum XIII. mille vix compleverat armatos. Cum his aliquandiu ſe continuit in vallo; veritus a tergo ne appropin-

(*g*) *Campagne de Villars* Tom. I. pag. 136.

(*h*) FABRI *Staats-Cantzley* Tom. VIII. pag. 459. & 460.

(*i*) Ipſe id fatetur Villarſius in literis ad Regem. *Campagne* Tom. I. p. 98. ita ſcribens: „ En verité, Sire, il ne falloit pas deux cens travailleurs, „ pour arrêter l'armée de Votre Majeſté - - - - - & l'on peut „ dire que la ſeule opinion, que les ennemis ont eu de l'impoſſibilité „ de notre deſſein, l'a rendue poſſible. „

(*k*) *Camp. de Villars* Tom. I. pag. 98. & 110. DE LA HODE *Hiſtoire de Louis le Grand* Tom. V. pag. 380. BURNET *Hiſt. d'Angleterre* Tom. II. p. 346.

(*l*) *Theatrum Europæum* loco alleg. *Camp. de Villars* Tom. I. p. 176.

LVDOV. WILH.

quaret eumque adoriretur Villarſius, cujus bellicos conatus Stirumius Comes, Bavarum continens, obſervare quoque juſſus eſt. (*m*) Villarſius fruſtra cum tentaſſet Villingam, (*n*) Doneſchingæ primo, dein Mœringæ caſtra habuit, inviſoque ad Dutlingam Bavaro, brevi poſt verſus Ulmam profectus eſt. Bavarus, poſt multas cum Villarſio de belli gerendi ratione lites, Junio denique menſe in Tirolenſem Comitatum irrupit, quem brevi in poteſtatem redegit.

§. LX.

Motus Ludovici.

Medio tempore Villarſius in munitis, Lauingam inter & Dillingam, caſtris conſedit, obſervaturus Badenſem. (*o*) Hic aucto pedetentim exercitu & XXX. millibus armatorum completis, cum Bühlenſe vallum muniviſſet præſidiis, ſub finem Junii Langenaviam verſus in Ulmenſium ditionem proceſſit, prœlium detrectante Villarſio, ipſa ut Gallorum caſtra oppugnaret. (*p*) Baruthino hunc in finem accerſito Marchione, Gundelfingam diſceſſit; in conſpectu hoſtium, Wittislingam inter & Haushemium,

(*m*) *Campagne de Villars* Tom. I. p. 176.

(*n*) *Theatrum Europ.* Tom. XVI. Part. 2. pag. 49. & 50.

(*o*) *Campagne de Villars* Tom. I. p. 343.

(*p*) *Theatrum Europæum* loco alleg. pag. 220. ſq. *Campagne de Villars* Tom. I. p. 347. 348. 354.

LVDOV. WILH.

caſtra metatus. Ex caſtris his die VIII. Julii literas ad Seckendorſium dedit, quibus ei miſerum exercitus ſui, omnium rerum inopia laborantis, ſtatum exponit. Graviter etiam de ipſo conqueritur Cæſare, quod jam inde ab obſidione Landaviæ vix 15000. ei perſolverit florenos, & ad frequentes ipſius literas non reddiderit reſponſum. Negat denique, ab exercitu ſuo, ſatis mediocri, aliorſum dimittere ſe poſſe copias, licet Seckendorſius flagitet opem. (*q*)

§. LXI.

Cauſſæ lentoris.

Sub finem tamen menſis Ludovicus, mutata ſententia, inſigne ſuorum agmen ablegavit Villingam, impediturus, ne Burgundiæ Dux, qui exercitum Tallardi ad Rhenum ducebat, per Nigram Sylvam Villarſio auxilia mitteret. (*r*) De cetero ad finem usque Auguſti nihil memorabile ad Danubium evenit. Badenſis, munitionibus Gallorum, tempeſtatis injuria & apparatuum defectu prohibitus, non potuit Villarſium aggredi. Acceſſit denique podagræ morbus, qui toto fere menſe Auguſto Ludovicum vexavit. Nihil ergo magnæ rei ſuſceptum. (*s*) Satis ille adquiſivit gloriæ, quod in tanto apparatuum & rerum omnium defe-

(*q*) Literæ hæ extant in Libro *Campagne de Villars* Tom. II. p. 43.

(*r*) *Camp. de Villars* Tom. II. p. 57.

(*s*) Ibidem p. 125.

Digitized by Google

defectu, Bavarica & Gallica ſuis intervertit conſiliis. Et tamen Vindobonenſis Aula, quam Ludovicus non ſemel accuſavit cunctationis, vice verſa jam cunctationis accuſavit Ludovicum; ut ex literis, a Villarſio interceptis, apparuit. (*t*)

§. LXII.

Sub finem denique Auguſti Ludovicus, cum ad defenſionem caſtrorum Stirumium reliquiſſet Comitem, adverſo Danubio, Ehingam contendit, ut trajectis ibi copiis impetum in Bavariam faceret. (*u*) Elector Bavarus, a Tirolenſi expeditione, quæ infelicem exitum habuerat, redux, monente eum identidem Villarſio, Auguſtam Vindelicorum, quæ magno ad bellum uſui videbatur futura, in ſuam poteſtatem redigere ſtuduit. Sed Electorem prævenit Badenſis, qui itineribus, artificioſe compoſitis, Auguſtam occupat.

Tom. III. Ii

(*t*) *Campagne de Villars* Tom. II. pag. 138. Burnet. *Hiſt. d'Angleterre* Tom. II. pag. 348. hæc de re ita ſcribit: „ Le Prince de Bade ne pût faire autre „ choſe, qu'obſerver Mr. de Villars & n'oſa l'attaquer. Il eſt vrai, que „ bien des gens l'en blamerert: Les nns l'accuſant de manquer de conra„ ge & les autres le ſoupçonnant d'intelligence avec l'Ennemi. Mais „ la plus part en rejetterent uniquement la faute ſur ſon armée, qui „ étoit d'un coté très foible & de l'autre très mal pourvue, a toutes „ ſortes d'egards. „

(*u*) *Theatrum Europæum* Tom. II. Part. II. pag. 226.

LUDOV. WILH.

quum XX. amplius leucis abfuiſſet, urbem hanc, inſpectante Bavarico exercitu, in deditionem accepit. Expeditionem hanc, quam, inopinante Bavaro, Ludovicus ſuſceperat, ipſi admirati ſunt hoſtes. (*x*) Occupata Auguſta, Galli cum Bavaris tenebantur incluſi. Bavaria omnis patebat Cæſareis. (*y*)

§. LXIII.

Clades Stirumii.

Ludovicus caſtra ſua inter Licum & Wertacum tanta arte munivit, ut Villarſius contra eum nihil tentare ſit auſus. (*z*) Stirumium denique Comitem accerſivit; viribus junctis ut peterent hoſtes. Sed conſilia hæc Galli interverterunt cum Bavaris, ad Schwenningam prope Hochſtadium adorti Stirumium; qui multis ſuorum amiſſis, Nordlingam verſus ſe recipere coactus eſt. (*a*) Poſt adverſa hæc fata Badenſis nihil habuit antiquius,

(*x*) *Campagne de Villars* Tom.II. p.184. 201. & 206. QUINCY *Hiſt. milit. de Louis le Grand* Tom.IV. p.132. DE LA HODE *Hiſt. de Louis le Grand* Tom.V. pag. 386. *Continuation* de RAPIN THOYRAS Tom. XI. pag. 527.

(*y*) *Campagne de Villars* Tom. II. pag. 218.

(*z*) Ibid. pag. 209.

(*a*) *Theatrum Europ.* Tom. XVI. Part. 2. pag. 227. ſeq. *Campagne de Villars* Tom. II. pag. 223. DE LA HODE *Hiſt. de Louis XIV.* Tom. V. pag 386. *Memoires du Marquis D** Tom. II. pag. 69. & 70.

Digitized by Google

quam ut, evitato prœlio, hoſtium moraretur progreſſus. Fridberga tamen, vicinum Auguſtæ oppidum, paullo poſt ab eo in poteſtatem accepta. Auguſta vero ſub finem anni recepta a Bavaro. (*b*)

Menſe Sept. Briſacum Cæſareis eripuerat Burgundiæ Dux; quam urbem mox inſecuta eſt expugnatio Landaviæ; poſtquam fœderati, ſub Naſſovio & Haſſo ducibus, in auxilium venientes urbi, a Tallardo, Gallorum duce, prope Spiram acceperant cladem. (*c*) Summa hæc rerum, a Ludovico geſtarum A. 1703.

§. LXIV.

Imperterritus ille menſe Aprili anni ſequentis, omnia ad expeditionem neceſſaria, Aſchaffenburgi inſtruxit. Minus proſpera nuperæ expeditionis fata multiplices contra eum excitaverant rumores; inſulſos & temerarios. Electores tamen Francofurti agentes, publice illius acta probarunt. (*d*) Tallardus die 13. Maji ad Briſacum & Rhinoviam cum XIII. armatorum milli-

Tallardus Bavaro jungitur.

(*b*) *Campagne de Villars* Tom. II. pag. 269. & 432.

(*c*) DE LA HODE *Hiſt. de Louis le Grand* Tom. V. pag. 381. ſeq.

(*d*) *Campagne de Mr. le Maréchal de Tallard en Allemagne* 1704. Tom. IV. pag. 50, 55. & 155.

LVDOV. WILH.

bus Rhenum tranſivit; Electori Bavariæ atque Marſinio, qui paulo ante Villarſio in imperio militari ſucceſſerat, auxilia adducens. Promovendæ junctioni ad Danubii fontes, una cum Marſinio, propius acceſſit Elector; Dutlingam inter & Villingam caſtra metatus. Tallardus per vallem Abbatiæ D. Petri montes Nigræ Sylvæ trajecit, armaque ſua cum Electoralibus die 17. Maji ad Villingam conjunxit. (*e*) Thungius, Wirtembergæ Dux & Stirumius Comes, Cæſarei exercitus duces, junctionem impedituri, cum Electore & Marſinio prœlium tentare decreverant; ſed prohibuit Ludovicus, (*f*) non conſultum arbitratus, fortu-

(*e*) *Campagne de Tallard* Tom. I. pag. 176. ſeq. DE LA HODE *Hiſtoire de Louis XIV.* Tom. V. pag. 406. *Theatrum Europ.* Tom. XVII. pag. 26. ſq. Non exiſtimaverat Ludovicus tranſitum hunc ſucceſſurum eſſe Galliis. Tallardus in litteris ad Chamillardum, Regium Adminiſtrum, ea de re ita ſcribit: „ Si vous voulez ſavoir, Monſieur, ce que dit Mr. de Bade „ ſur le paſſage des Recrues, j'aurai l'honneur de vous rapporter ſes „ propres termes, que voici: Mr. le Maréchal croit paſſer en Baviere, „ pour moi je ne le crois pas, je n'en reponds pourtant point. „ *Campagne de Tallard* Tom. I. pag. 48.

(*f*) *Theatrum Europæum* loco alleg. *Memoires du Marquis D** pag. 117. ubi hæc annotat: „ Ils reçurent ordre du Prince de Bade qui etoit „ abſent de différer le combat j'usqu'à ſon arrivée; ordre qui fut fatal „ & qui leur fit perdre l'occaſion de battre l'Electeur & Marſin & fa„ voriſa en même temps le paſſage de l'armée Françoiſe en Baviere. „

nam belli ſe abſente ſubiri. Facta junctione, Ludovicus advenit die 19. Maji, cum Gallis Bavariſque ut confereret manus. At illi, relicta Villinga, magnis itineribus Ulmam contenderunt; Tallardo redeunte ad Rhenum. Ludovicus ad Danubium usque inſecutus eſt hoſtes, qui in munitis caſtris Lauingam inter & Dillingam conſederunt.

§. LXV.

Marlboroughii adventus.

Hæc dum aguntur Marlboroughius Anglorum in Belgio dux, Villaregium & Buflerium, Gallicos duces, Brabantiæ, Flandriæque munimentis incluſos, bellum cum trahere vidiſſet, Annæ Britannorum Reginæ conſenſu, ex Belgio in Bavariam arma transferre decrevit, eoque conſilio cum præcipua copiarum Anglicarum parte Neccarum ad Heilbronnam trajecit; caſtris in oppidi hujus vicinia poſitis. Ibi cum Ludovico Badenſi, cum Eugenio Principe & Wirtenbergæ Duce de belli rationibus communicavit conſilia. Placuit, ut ambo conjungerentur exercitus & Imperii ſumma alternis vicibus penes Badenſem & Marlboroughium eſſet. Eugenius ad Stolhovienſe vallum exercitum duceret, obſervaturus Tallardum; qui ad famam de Marlboroughii adventu in Alſatiam redierat; numeroſiores Bavaro ut addu-

Lvdov. Wilh.

ceret copias. (*g*) Marſinius auctor fuerat Electori, ut ante Marlboroughii & Badenſis junctionem cum Badenſi confligeret. At reditum Tallardi exſpectans Elector, munitis Lauingam inter & Dillingam caſtris continere ſe maluit, quam dubio certamini ſe ac ſociorum fortunas committere.

§. LXVI.

Prœlium ad Schellenberg.

Inter hæc Marlboroughius & Badenſis ad Luzhuſium in Ulmenſi ditione die 21. Junii copiis junctis, Elchingam inter & Langenaviam in conſpectu hoſtium conſederunt; quos in caſtris, arte & natura munitis, aggredi non auſi, ſecundo Danubio ſub finem Junii, Donawerdam properarunt; e regione illa in Bavariam irruptionem facturi. (*h*) Conſederat ibi in Schellenbergæ monte cum inſigni Bavarorum & Gallorum manu Comes Arcanus, quem in ipſis propugnaculis die 2. Julii adorti ſunt Fœderati. Marlboroughius primum impetum fecit. Cum exercitu Cæſareo eum ſecutus eſt Badenſis. Magna utrimque virtute pugna-

(*g*) *Memoires du Marquis D** loc. cit. *Hiſt. militaire du Prince Eugène* par Du Mont Tom. I. pag. 29. De La Hode *Hiſt. de Louis XIV.* pag. 406.

(*h*) Crediderat Marſinius, ſolum Marlboroughium Donawerdam petiturum; Ludovicum autem tuendæ Nordlingæ & Norimbergæ paullo ſuperius cum exercitu conſtiturum. *Campagne de Marſin* Tom. I. p. 227. & 229.

tum. Fortiſſimi Ducis munia dum explet Ludovicus, vulnus accipit in pede. Poſt pugnam cruentam, Wirtenbergæ Duce hoſtium munimenta invadente a tergo, plenam denique Fœderati reportarunt victoriam. Hoſtes, ſuperſtites prœlio, Danubium tranſierunt natando. (*i*) Inſignis hæc ad Schellenbergam victoria, cuſo in honorem Badenſis apud Germanos celebrata eſt nummo. (*k*)

(*i*) Hiſtoriam prœlii hujus Hompeſchius, Batavorum dux, qui interfuit prœlio, perſcripſit ad Batavos; excurritque in laudes Ludovici Badenſis. Lamberty *Memoires* Tom. III. pag. 85. Plura de hoc prœlio vide in *Campagne de Mr. le Maréchal de Marſin en Allemagne* 1704. Tom. I. pag. 237. ſeq. *Theatrum Europ.* Tom. XVII. pag. 88. Quincy *Hiſt. militaire de Louis XIV.* Tom. IV. pag. 250. *Continuation de* Rapin Thoyras Tom. XI. pag. 567. Burnet *Hiſt. d'Anglet.* Tom. II. pag. 389. Feuquieres *Memoires* pag. 284. Roussetus in *Hiſt. Milit. Eugenii Principis*, gallice ſcripta, Tom. II. pag. 97. Marlboroughium, pugnandi & vincendi cupiditate flagrantem, eo die hoſtes aggreſſum eſſe ſcribit, quo penes eum fuerat ſumma Imperii, ut ſolus victoriæ laudem reportaret. Adde De La Hode *Hiſt. de Louis XIV.* Tom. V. pag. 408.

(*k*) In ejus parte adverſa Ludovicus comparet armatus, cum Inſcriptione: LUDOVICUS WILHELMUS MARCHIO BADENSIS EXERCITUS CAESAREI GENERALIS LOCUMTENENS. In averſa nummi parte Donawerda conſpicitur civitas cum munitionibus ad Schellenbergam. Danubius ſub hominis ſpecie ad

LVDOV. WILH.

§. LXVII.

Sequelæ victoriæ.

Accepta hac clade Bavarus Donawerda & Neoburgo relictis, a Danubio ad Licum, a Lauinga ad Auguſtam Vindelicorum tranſtulit caſtra, Tallardi adventum expectans. Ludovicus, miſſo Herbevilio Duce, recepit Neoburgum, variis agminibus longe lateque Bavariam devaſtans. (*l*) Raina quoque, Bavariæ oppidum, cum Dillinga a fœderatis occupatum. (*m*) Inde Ingolſtadii obſidionem Ludovicus aggreſſus eſt, cui promovendæ Marlboroughius Rainam inter & Donawerdam conſedit. (*n*)

Obſidione durante Herbevilius Dux, Ludovici Badenſis juſſu, Ratisbonenſem Civitatem, a Bavaris paulo ante deſertam, Cæ-

fluminis ripas conſidet, coronam tenens vallarem. Additur inſcriptio: HOSTE CAESO FUGATO CASTRIS DIREPTIS AD SCHELLENBERGAM DONAWERDAE. In margine legitur: VIRTUTE PRINCIPIS ET SOCIORUM VIA VICTORIIS INSEQUENTIBUS APERTA. VAN LOON *Hiſtoire Metallique des Pays-bas* Tom. IV. pag. 418.

(*l*) *Theatrum Europ.* Tom. XVII. pag 89. LAMBERTY *Memoires* Tom. III. pag. 92. *Campagnes de Mr. le Marechal Tallard* Tom. II. pag. 113.

(*m*) *Theatrum Europ.* loc. alleg.

(*n*) *Campagne de Mr. Marſin* Tom. I. pag. 199.

Digitized by Google

Cæſareo milite occupavit. Imperii Ordines, Ratisbonæ hærentes, hoc graviter commovit; qui, literis ad Ludovicum datis, de læſa Ordinum majeſtate multum conqueſti ſunt. (*o*) Lvdov. Wilh.

§. LXVIII.

Tallardus interea Julio menſe cum XXX. armatorum millibus Nigram Sylvam tranſivit Hornbergæ, obſeſſoque fruſtra per aliquot dies Villingæ oppido, Ulmam contendit. Ibi Danubio ſub initium Auguſti trajecto, cum Electore & Marſinio ad Auguſtam ſuas copias conjunxit. (*p*) Eugenius Princeps, ex Stolhovienſi vallo progreſſus, (*q*) per Wirtenbergæ Ducatum magnis itineribus Tallardum ſecutus eſt; ad Hochſtadium die quinto Auguſti caſtra metatus. Galli tum & Bavari, motis Auguſta caſtris, Danubium tranſierunt Lauingæ; inopinato impetu ut aggrederentur Eugenium. Sed ille verſus Schellenbergam ſe recipiens, a Marlboroughio petiit auxilia, qui copias ſuas Eugenia- Tallard. in Bavariam tranſit.

(*o*) *Theatrum Europ.* Tom. XVII. p. 15. ſq.

(*p*) *Campagne de Tallard* Tom. II. pag. 27. ſq.

(*q*) Reprehendunt Galli Villerojum, quod poſt diſceſſum Eugenii, Stolhovienſe non invaſerit vallum, tragicorum ad Danubium eventuum ſpectator. De la Hode *Hiſt. de Louis XIV.* Tom. V. p. 409.

LUDOV. WILH.

nis conjunxit undecimo Auguſti. Galli & Bavari in priora caſtra, Lauingam inter & Dillingam, redierunt. (r)

§. LXIX.

Prœlium Hochſtad.

Res denique die 13. Auguſti, prope Hochſtadium, Neoburgici Ducatus oppidum ad Danubium, prœlio ſanguinolento deciſa, quo Galli Bavarique, maxima clade accepta, captoque Tallardo, non Bavaria modo, ſed & omni trans-Rhenana Germania ejecti ſunt. (s) Hochſtadienſi huic prœlio non interfuit Ludovicus, in obſidione Ingolſtadii durante prœlio occupatus. Marlboroughius, incredibili pugnandi ardens cupiditate, urbem hanc Ludovico oppugnandam commiſit, ne ab eo retineretur a pugna. (t) Veriſimilis ſententia eſt, ambo Duces conſilium de Hochſtadienſi prœlio occuluiſſe Badenſi; veritos, ne diceret te-

(r) *Campagne de Marſin* Tom. I. pag. 299. ſeq.

(s) LAMBERTY *Memoires* Tom. III. p. 94. ſq. *Campagne de Marſin* Tom. I. pag. 325. ſeq. *Memoires de la guerre d'Eſpagne* loc. cit. pag. 136. ſq. *Hiſtoire Militaire du Prince Eugéne* Tom. I. pag. 27. ſq. & Tom. II. pag. 101. ſeq. DE LA HODE *Hiſt. de Louis XIV.* Tom. V. pag. 413. *Theatrum Europ.* Tom. XVII. pag. 97. RAPIN THOYRAS *Contin.* Tom. XI. pag. 570. ſq. QUINCY *Hiſt. militaire de Louis XIV.* Tom. IV. pag. 271. BURNET *Hiſt. d'Angleterre* Tom. II. pag. 391. FEUQUIERES *Memoires* p. 250.

(t) *Theatrum Europ.* Tom. XV. pag. 91.

Digitized by Google

merarium & audax. (*u*) Poſt reportatam victoriam, obſidionem Ingolſtadii Auſſaſſio, Circuli Franconici copiarum Præfecto, Ludovicus commiſit, ipſe cum maxima copiarum ſuarum parte ſe victoribus junxit. (*x*)

§. LXX.

Landavia capta.

Decreta deinde in caſtris ad Ulmam (d. 25. Aug.) Landaviæ obſidione, (*y*) Marlboroughius, Eugenius atque Badenſis, relicto ad Ulmam Thungio, (*z*) verſus Rhenum profecti ſunt. Trajecerunt eum ad Philippiburgum & deliberationibns die 8. Sept. Spiræ inſtitutis, Gallos cum Electore, Germershemium inter atque Landaviam ſedentes, aggredi ſtatuerunt. Sed illi, non expectato hoſte, maximis itineribus verſus Argentoratum ſe receperunt. Fœderati ad Weiſſenburgum usque Gallos ſecuti, ibidem ſubſtiterunt, tegendæ obſidioni Landaviæ, quam Ludovicus noſter (die 12. Sept.) cum potiore exercitus parte ſuſcepit. Joſephus, Romanorum Rex, ſecundæ huic obſidioni, ut primæ, inter-

(*u*) *Memoires de la guerre d'Eſpagne* Tom. II. p. 156. & 165. *Hiſt. militaire du Prince Engéne* Tom. I. p. 30.

(*x*) *Theatrum Europ.* Tom. XVII. p. 103.

(*y*) LAMBERTY *Memoires* Tom. III. p. 108. & 109.

(*z*) Urbs hæc d. 10. Sept. Thungio tradita. LAMBERTY Tom. III. p. 109. ubi leges deditionis exhibet.

LUDOV. WILH.

fuit. Advenit ille die 27. Sept. At ſtrenue urbem defendente Laubanio, nonniſi d. 24. Nov. ea in fœderatorum poteſtatem tranſivit. (*a*)

Fata Bavariæ.

Bavaria inter hæc duriſſime habita. Electrix, Johannis Sobieskii Regis Poloniæ filia, Ordinesque Bavariæ multis precibus ſollicitarunt Ludovicum, apud Cæſarem ut intercederet, ferro & flammis omnino ne periret Bavaria. Romanorum Rex, interventu Ludovici, in caſtris ad Landaviam cum Bavaris die 7. Novembris tranſegit, ut oppida eorum Cæſari traderentur, omnisque Ducatus haberetur clementius. (*b*)

§. LXXI.

Varia.

Durante Landaviæ obſidione, militaris quidam ordinis homo, qui ſe Comitem de Raveſcot dixit, ſalvi conductus literis munitus, ad Marſinium, Hagenoæ caſtra habentem, ſe contulit, eique conſilium ſuum proficiſcendi Verſalias aperuit, ut de maximi momenti rebus colloqueretur cum Rege. Profectus eſt, atque Chamillardo, Regios inter Adminiſtros præcipuo, declara-

(*a*) LAMBERTY *Memoires* Tom. III. pag. 112. *Campagne de Marſin* Tom. II. pag. 40. 68. & 316. ſeq. Leges deditionis extant ibidem pag. 344. Adde *Theatrum Europ.* Tom. XVII. pag. 29. ſq.

(*b*) LAMBERTY *Memoires* Tom. III. pag. 108. & 114. *Theatrum Europæum* Tom. XVII. pag. 103. ſq.

Digitized by Google

vit, magnam ſibi cum Joſepho, Rege Romanorum, intercedere familiaritatem: haud difficile ſibi fore, vel Hungaris, Auſtriae hoſtibus, vel Bavaris, inter venandum, eum tradere captivum. Abhorruit Rex facinus; proditorem in Alſatiam remiſit; injungens Marſinio, ut quam celerrime regni finibus eum juberet excedere. Chamillardus quoque literis, datis ſecundo Novembris, rogavit Badenſem, ut omne hoc negotium Regi Romanorum aperiret. Aperuit, finitoque Landaviae obſidio, reſpondit nomine Regis Romanorum, de propenſo in eum Regis Galliae animo gratias perſolvens. (*c*)

Paulo poſt 8. Dec. idem Ludovicus Aſchaffenburgo literas ad Marſinium dedit, quibus Gallos milites eorumque Praefectos, certis de cauſis Ulmae detentos, juſſu ſuo libertati reſtitutos ſignificat. (*d*)

§. LXXII.

Caſtra ad Sirkium.

Tam felices A. 1705. ſucceſſus, animos foederatorum adeo erexerant, ut in annum ſequentem de arduis rebus, Mo-

(*c*) Marſinil, Chamillardi & Ludovici Badenſis literas hac de re vide in Libro, ſaepius alleg. *Campagne de Marſin* Tom. II. p. 200, 229, 231. Tom. III. p. 11. & 17. Chamillardi ſententiam de ſcena hac ex Literis ad Marſinium Tom. II. p. 268. & 292. diſcimus.

(*d*) *Campagne de Marſin* Tom. III. p. 64.

Digitized by Google

ſellam inter & Rhenum gerendis, agitarent conſilia, quæ vero magna ex parte caruerunt ſucceſſu. Caſtri Ludoviciani ad Saram (*Sarlouis*) decreta obſidio, in Campaniam Galliamque aditus ut fœderatis pateret. Avertendæ tempeſtati prope Sirkium ad Moſellæ fluenta Galli, Villarſio duce, caſtra poſuerunt. Marlboroughius, collecto prope Trajectum ad Moſam exercitu, ineunte Majo, ad Moſellam contendit, ut, Villarſio pulſo, Caſtro illo Ludoviciano potiretur ad Saram. Res ut felicius procederet, vires conjungere ſtatuit cum Ludovico Badenſi, cujus exercitus ad Rhenum ſuperiorem prope Lauterburgum conſederat. Marlboroughius eum ægrotantem inviſit Raſtadii, (*e*) facileque ad ſuam ſententiam perduxit. Diviſo agmine Ludovicus progreditur. Primum, ſub Wirtenbergæ Duce, die 14. Junii Marlboroughio ſe junxit. Ludovicus autem in Hunnorum Tractu ad Rammersburgum usque cum perveniſſet, doloribus ex vulnere, nuper accepto, correptus, copias ſuas Friſio Comiti ducendas commiſit, ipſe ad medicatos profectus eſt fontes. (*f*)

(*e*) Marlboroughius diem conſtituerat Ludovico, quo Crucenacum veniret, ſed cum ille, morbo impeditus, non comparuiſſet, Marlboroughius, conſulto id factum exiſtimans, Ludovico ſuccenſuit.

(*f*) Thermæ, quæ dicuntur *Schlangenbad*.

§. LXXIII.

Friſius, varia ob impedimenta, quum lentius progredere- tur, Marlboroughius, re infecta, a Moſella ad Moſam ſe recepit in Belgium, cujus Ordines Fœderati frequentibus literis ab eo petierant, ut Villaregium, Gallorum ducem, compeſceret, qui Marlboroughio ad Moſellam hærente, Huyum & Leodium urbes in poteſtatem redegerat. Marlboroughius, perpetuus Ludovici æmulus, qui laudibus ejus obtrectandi nullam occaſionem prætermiſit, (*g*) in literis, ad Villarſium datis, a Badenſi ſe deceptum conqueſtus eſt, qui ad conſtitutum non advenerit tempus, ut junctis viribus caſtra ejus aggrederentur. (*h*) Idem Marlboroughius in eandem ſententiam ad Angliæ Regem, (*i*) & ad

Marlboroughii reditus.

(*g*) Jam anno ſuperiore Marlboroughius in obſidione Landaviæ in Ludovicum noſtrum fuerat iniqnior, ita ut graviſſimæ inter eos lites orirentur, de quibus mentionem facit Marſinius in litteris ad Chamillardum. *Campagne de Marſin* Tom. II. p. 225.

(*h*) Literæ hæ exhibentur in *Continuation* De Rapin Thoyras Tom. XII. pag. 33.

(*i*) Cardonnelius, Marlboronghio ab Epiſtolis d. 13. Jun. ſcriptam miſit in Angliam narrationem, qua expoſuit canſſas, ob quas Marlboroughius a Moſella recedere fuerit coactus. In narratione hac graviter in Ludovicum invehitur. Extat in Lamberty *Memoires* Tom. III. p. 469.

Digitized by Google

LVDOV. WILH.

Belgas Fœderatos ſcribens, Ludovico Badenſi attribuit, quod promiſſis ſuis non reſponderit eventus. Jactaverat enim Hochſtadienſi ſimilem ſe ad Sirckium reportaturum victoriam; ad Moſellam ut experiretur Villarſius, quod ad Danubium Tallardus expertus eſt. At Villarſii caſtra omnes duces quum inexpugnabilia judicaſſent, Marlboroughius, qui Villarſium prævenire neglexerat, diluendæ culpæ ſuæ Ludovicum cunctationis incuſavit; (*k*) ſi cunctatio dicenda, quod a Rheno ſuperiore ad Moſellam quatuordecim dierum iter varia ob impedimenta impendit.

§. LXXIV.

Ludovici conſilia.

Ludovicus, finito thermarum uſu, ſub finem Julii quum ſe contuliſſet Moguntiam, Almelous, Ordinum Fœderati Belgii nomine, Welſiusque Comes, Cæſaris legatus, eum adierunt, ut de bello ad Rhenum, majori ardore inſtaurando, cum eo deliberarent. Nec animi ſui ſenſa legatis Ludovicus occuluit: a Cæſare ſe negligi, a fœderatis contemni; inſulſos paſſim, & apud Batavos præſertim, de ſe haberi ſermones. (*l*) Rebus ad bellum gerendum

(*k*) *Continuation* DE RAPIN THOYRAS Tom. XII. pag. 34. DE LA HODE *Hiſt. de Louis XIV.* Tom. V. p. 442.

(*l*) LAMBERTY *Memoires* Tom. III. pag. 502. Literarum Helveticarum auctor Tom. VI. Ep. 36. pag. 209. de ordinibus Fœderati Belgii ſcribit:

rendum neceſſariis ſe deſtitui: nec aliud jam ſibi ſupereſſe remedium, quam ut bellico imperatoris ſe abdicet munere. Legati, multis in medium allatis rationibus, Ludovicum permoverunt, ut cauſæ communi ſe non defuturum promitteret. Addidit, talem jam rerum ſtatum eſſe ad Rhenum, ut Galli aut eliciendi ſint ad prœlium, aut Hagenoënſi ex vallo pellendi. (*m*)

§. LXXV.

Exequendis conſiliis his Ludovicus properavit ad Rhenum, ubi eo abſente copiis præfuerat Thungius. Munitis hic prope Lauterburgum ſe continuit caſtris, quæ pontis Rhenani ope Stolhovienſe defendebant vallum, hoſtibusque claudebant. Villarſius cum Marſinio a Moſella redux, Thungium loco pellere decrevit. Hoc fruſtra cum tentaſſet, Rhenum tranſivit ad Kehlam, die quinto Sextilis. Secutus eos Thungius, ad Stolhovienſe vallum caſtra metatus eſt. Badenſis ad exercitum redux, Vil- Geſta ejus in Alſatia.

„ Ne ſe reprochent-ils-point la maniére indigne, dont leurs ecrivains
„ ont traité le Prince Louis de Bade? Prince aux ſages conſeils & à
„ la bonne conduite du quel, ils doivent tous les ſuccés de leurs ar-
„ mes &c. „

(*m*) Literas Almeloi ad Ordines Fœderati Belgii de deliberationibus cum Ludovico habitis d. 29. Julii exhibet Lamberty *Memoires* Tom. III. pag. 499.

LVDOV. WILH.

larſium Biſchofshemii in Ortenavia hærentem, aggredi ſtatuit; ſed ille, non expectato Germanorum adventu, in Alſatiam rediit. Ludovicus, Rheno prope Lauterburgum trajecto, expugnatoque Gallorum ad Pfaffenhovium & Moteram vallo, Septembri & Octobri menſibus, Druſenhemium atque Hagenoam in conſpectu Gallici exercitus in poteſtatem accepit. Inde Fortalitium Ludovici laxa obſidione cingens, exercitum ſuum ad utramque Rheni ripam per hyemem diſpoſuit. (*n*) Finita A. 1705. expeditione Ludovicus Heidelbergæ cum Marlboroughio multos habuit ſermones. Hic deinceps Vindobonam profectus eſt, bellicis ut intereſſet conſiliis. Ludovicus, a Moguntino Electore rogatus, ut idem iter ſuſciperet, iter recuſavit. (*o*)

§. LXXVI.

Reditus trans Rhenum.

Ineunte vere anni 1706. Villarſius & Marſinius magnis cum exercitibus in Alſatia comparuerunt, ut recuperato, quod Cæſarei ſuperiore anno occupaverant, ad Moteram vallo, Fortalitium Ludovici obſidione liberarent. Badenſis menſe Majo ad Marlboroughium jam literas dederat, quibus miſerum exercitus ſui,

(*n*) QUINCY *Hiſt. Militaire de Louis le Grand* Tom. IV. pag. 533. ſq. DE LA HODE *Hiſtoire de Louis XIV.* Tom. V. pag. 443. *Theatrum Europæum* Tom. XVII. Part. 2. pag. 18. RINCK *Vita Joſephi* Tom. II. pag. 50. ſeq.

(*o*) *Theatrum Europ.* loco alleg. p. 20.

Lvdov. Wilh.

omnium rerum penuria laborantis, ſtatum exponit; non enim niſi ſex mille armatis conſtabat. Subjungit, ad vicinos Principes Circulosque fruſtra ſe miſiſſe nuntios, urgentes auxilia. Unde eo ſe neceſſitatis adductum, ut, relicta Alſatia, redeat trans Rhenum. (*p*) Ludovicus ergo ad hoſtis adventantis famam, Motera & Biſchvilla relictis, Druſenhemium indeque trans Rhenum Stolhovam receſſit. Paulo poſt Galli Hagenoam & Druſenhemium oppida, apparatu bellico omni inſtructa, cum inſula Marchionatus, quam vocant, in poteſtatem redegerunt. Badenſis, propter paucitatem ſuorum, reliquo æſtatis tempore Stolhoviano ſe vallo continuit. Thungius quidem die 13. Sept. ad Philippiburgum Rhenum tranſivit, ſed, nulla re geſta, menſe Novembri in Germaniam rediit. (*q*)

§. LXXVII.

Iniqui de eo ſermones.

De cunctatione Statuum Imperii in Comitiis Germanicis graviter conqueſti ſunt Batavi; ſaucium Ludovici animum delinire ſtudentes. (*r*) Et tamen Marlboroughius, ex Anglia Hagam

(*p*) Lamberty *Memoires* Tom. IV. p. 60.

(*q*) Quincy *Hiſt. Militaire de Louis le Grand* Tom. V. pag. 51. ſeq. De la Hode *Hiſt. de Louis XIV.* Tom. V. pag. 493. *Continuation* De Rapin Thoyras Tom. XII. p. 128.

(*r*) Lamberty loc. alleg. p. 65. & 99.

LUDOV. WILH.

Comitum appellens, non occulte iniquos de eo ſparſit ſermones, (s) qui apud permultos ſane fidem invenerunt. Non defuere, qui alieni ab Auſtriaca Domo animi Ludovicum accuſarent, quod Bavari & Colonienſis proſcriptionem, contra juris ordinem factam, improbaſſet. (t) Ludovicus, miſſis ad vicinos Imperii Circulos & ad Batavos literis, omnem ſuſpicionem a ſe amovere laboravit, veramque infelicis expeditionis cauſam in rei militaris Germaniæ defectibus poſuit; (u) quod etiam in literis, ad vicinos Electores & Ducem Wirtenbergæ datis, repetiit Palatinus Elector. (x)

§. LXXVIII.

Cauſſæ cunctationis.

Neque vero ſoli Ordines Imperii, ſed & ipſe Imperator, ſuo defuerunt officio. Hungariæ bello hic præſertim intentus, copias ſuas abduxerat Rheno; nonniſi duas ibi relinquens cohortes; (*Regimens*) ex fœdere ſedecim mille armatos cum ibi alere debuiſſet. Invidiam facti tamen a ſe ut averteret, Rhenenſem exercitum, omni apparatu bellico affluentem, oſtentavit fœdera-

(s) *Theatrum Europ.* Tom. XVII. Part. 3. p. 176.

(t) LAMBERTY pag. 96.

(u) Exhibentur hæ literæ in *Theatro Europæo* loco alleg. p. 29. Adde LAMBERTY p. 98.

(x) *Theatrum Europ.* loco alleg. pag. 30.

Lvdov. Wilh.

tis. At Ludovicus ſub finem hujus anni Janum ex Præfectis militaribus ad Batavos miſit, qui de vero rerum ſtatu eos doceret, omnemque ſiniſtrorum eventuum cauſſam illis bona fide exponeret. (y) Tarditate & negligentia Germaniæ Ordinum per biennium (1705. & 1706.) Mars quievit ad Rhenum. Suffecerat Cæſari, Ludoviciano ibi vallo Germaniam eſſe tutam a Gallis.

§. LXXIX.

Obitus & Character.

Tam dubii, tam iniqui ſermones; tam multiplices rerum temporumque viciſſitudines animum Ludovici & corpus affecerant. Reficiendis viribus Schlangenbadenſes thermas iterum inviſit. At redux, condito teſtamento, quo conjugi, liberis, Marchiæque proſpexit, die 4. Jan. A. 1707. ætatis anno LII. Raſtadii in Palatio ſuo deceſſit; in Eccleſia Collegiata Badenſi majorum ſuorum cryptæ illatus. Heros ſane dignus vita longiore, vita poſtremos per annos feliciore; imo vita longiſſima. Amplificator gloriæ Domus Badenſis; verus rerum Germanicarum ſtator ad Rhenum; ringente invidia. Inexpugnabile illud vallum ejus, quod a Philippopoli ad Stolhovam, a Stolhova ad Bühlam

(y) Lamberty *Memoires* Tom. IV. pag. 98. 99. Add. Literæ Ludovici ad Ordines Belgii, ſupra allegatæ, in *Theatro Europæo* Tom. XVII. Part. 3. pag. 29. & 30.

LVDOV. WILH.

& ad penetralia usque Sylvæ Martianæ Germaniam contra Gallos defendit, Ludovici opus eſt; quod ab initio belli usque ad mortem ejus impenetrabile, eo vix mortuo ſuperatum a Gallis. Januario menſe Ludovicus decedit; vallum Majo menſe perrumpitur; ipſo vivo per tot annos invictum, & per illos quoque annos invictum, quibus dux caruit exercitu. Documentum, quod omnes Ludovicianæ gloriæ obtrectatores proſternit & æmulos. Illuſtris ille Domus Lotharingicæ heros, Carolus IV. Leopoldi Imp. affinis, an non gloriam, apud Danubium partam, ad Rhenum quoque imminuit. Marlboroughius audaci ſua ad Danubium Bavaricum victoria tam elatus, ad Hungaricum progredi debuiſſet Danubium, ibique campos & fluvios, Ludovici Badenſis victoriis ſignatos, computare.

§. LXXX.

Virtutes ejus militares.

Præcipua ejus qui narraturus eſt geſta, inveniet Heroëm, qui viginti ſex bellicas expeditiones, viginti quinque urbium & caſtrorum obſidiones ſuſcepit; qui tredecies aperto Marte conflixit; victor fere ſemper, nonnunquam æquo Marte, nunquam victus diſceſſit: In caſtrametatione Pyrrhus alter & Cæſar, in quo magni exercituum duces, quod imitentur, inveniunt; inveniunt, quod diſcant. Poſtremis belli Germanici annis ſi viſus eſt cunctari, id Ordinum, non Ludovici tribuendum eſt moræ. Cunctatorem ſane non experti ſunt Turcæ. In Hochſtadienſe præ-

lium ſi difficilius, quam duo ejus Collegæ, conſenſit, condonandum id Germanico Principi, propius qui introſpexit periculum, cui exponebatur Germania, quam exteri, quos gloriæ cupido magis, quam Germaniæ incenderat amor. Ceterum prudentia & moderatio, clementia & humanitas, intemerata fides, promiſſorum ſanctimonia, non fucatæ fuerant Ludovici virtutes. Expers vindictæ, arrogantiæ hoſtis, otii ae voluptatis contemtor, bello paceque magnanimus.

§. LXXXI.

Domeſticæ.

Domeſticas ejus virtutes ſi ſpectes, matrimonium concors, ſobole fœcundum, opibus felix & dives; opulentius quod eſſe debuerat, niſi in erciſcenda hereditate Lauenburgica adverſarios expertus eſſet, nimis potentes. Hi enim ex omnibus allodialibus Lauenburgicis bonis & terris, quæ ſane permultæ, præter dimidiam Lauenburgico - Bohemicæ ſucceſſionis portionem, uxori ejus nihil reliquerunt. Cæſarea connivebat Aula; quæ & in nono Electoratu erigendo & in Lauenburgica ſucceſſione adjudicanda Hannoveranæ Domui nimis favere viſa eſt, in detrimentum Ludovici Badenſis; qui poſt tot victorias, pro Cæſare reportatas a Turcis, meliorem expectaverat ſortem; & eo magis expectare debuerat, quod Hungariæ & Germaniæ invigilando ſaluti, ipſe domeſticas res ſuas neglexit, imo fere peſſundedit. Chriſtiano-

LVDOV. WILH. rum hoſtes dum ille ad Danubium debellat, Bada & Marchia ab hoſtibus Germaniæ ad Rhenum rediguntur ad cineres. Tantus Heros caruit vitæ ſcriptore.

§. LXXXII.

Uxor Ludovici. Franciſca Sibylla Auguſta, Ludovici Guilielmi uxor, ex antiquo Aſcaniorum, Saxoniæ Ducum, ſanguine die 21. Januar. A. 1675. patre Julio Franciſco, Lineæ Aſcanio-Lauenburgicæ poſtremo, prognata; Rauduizii in Bohemia die 27. Martii A. 1690. facta eſt Ludovici Conjux.

Succeſſio Lauenburg. Anno præcedente (1689.) deceſſerat pater; cujus hereditatem, difficultatibus obnoxiam, multi Proceres ambiverunt. Franciſca Badenſis noſtra & ſoror ejus natu major, Anna Maria Franciſca, quæ Philippo Guilielmo, Duci Neoburgico, dein Joanni Gaſtoni, Hetruriæ Principi, nupſerat, omnem patris hereditatem petierunt; Lauenburgicum Ducatum non feudum, ſed allodium eſſe dicentes; quod per Eilickam, filiam Magni, ex Billinganis Saxòniæ Ducibus poſtremi, ad Ottonem Ballenſtadii Comitem, Bernhardi, Saxoniæ Ducis, avum pervenit. Lauenburgicus tractus dein, Bernhardo ereptus, poſt longa bella, cum Danis & Brunſvicenſibus geſta, Friderici II. Imp. conſenſu, in Albertum, Bernhardi filium, anno 1227. jure perpetuo tranſivit.

§. LXXXIII.

Lvdov. Wilh.

§. LXXXIII.

Baden-ſium rationes.

Terras has, a Ducibus Lauenburgi, absque Imperatorum præſcitu, oppigneratas venditasque fuiſſe, conſtat exemplis. Feudales Sigismundi, Caroli V. & inſequentium Imperatorum Literas, vel ab ipſis Imperatoribus revocatas, vel ex errore, vel ob ſpem in Electoratu Saxoniæ aliquando ſuccedendi a Ducibus acceptas, eam vim non habere, filiæ Principes contendunt, ut allodia in feudum commutent, ſine agnatorum conſenſu. Addunt, etiamſi habitum feudalem aliquandiu induiſſet Lauenburgi Ducatus, allodiali ad Aſcanios quum pervenerit jure, ex natura feudi, quod vocant, oblati, poſt maſculos extinctos, feminis ſucceſſionem deberi. Evidens porro eſſe demonſtrant, feudalibus illis tabulis Lauenburgicas omnes non comprehendi ditiones. Non comprehenſas autem priſtinam allodii ſervare naturam, adeoque ad fœminas tranſire heredes. (z) De Hadeliæ Terra, quæ prope oſtia Albis eſt, ſpeciatim oſtenditur, quod Lauenburgici Ducatus partem illa nunquam conſtituerit; ut verum & ſeparatum allodium a Lauenburgicis Ducibus conſtanter poſſeſſa.

(z) Rationes has & alias exponit Diatriba, A. 1757. impreſſa Raſtadii, cui titulus: *Gründliche Ausführung des Erbrechts beyder Sachſen-Lauenburgiſchen Erbprinzeſſinnen auf Lauenburg*, fol.

Julius Franciſcus, condito A. 1689. teſtamento, omnium allodialium bonorum & jurium, ſpeciatim Bohemicarum ditionum, terræque Hadeliæ heredes ſcripſerat filias. Lauenburgi Ducatum Principibus Anhaltinis, ut proximis agnatis & heredibus feudi deſtinavit. (*a*)

§. LXXXIV.

Badenſium æmuli.

Verum enimvero non pauci mox heredipetæ orti ſunt, qui vel omnem ſucceſſionem Lauenburgicam, vel ejus partem petierunt. Anhaltina Domus communem cum Lauenburgicis originem & renovata cum ultimo Duce A. 1678. ſucceſſionis pacta allegavit. (*b*) Electoralis Saxonica Domus ſpem, a Maximiliano I. Imp. A. 1507. acceptam, a Leopoldo Imp. confirmatam; ut & pactum cum Julio Franciſco A. 1671. initum, jura ſua ut firmaret, produxit. At Erneſtinæ Lineæ Principes Maximilianum I. Imp. Lineæ ſeniori, ante juniorem in Lauenburgicum Duca-

(*a*) Teſtamentum legitur in ſcripto allegato inter Documenta p. 35.

(*b*) LUNIG *Grundfeſte Europæiſcher Potentzen Gerechtſame* Tom. II. pag. 384. SCHWEDER in *Theatro Prætenſionum* Tom. II. pag. 11. & ZSCHACKWITZ *Einleitung zu denen vornehmſten Rechts-Anſprüchen derer gecrönten hohen Haupter in Europa* Tom. II. *VII. Abtheilung* pag. 438. ſq. SCHILTERUS in Diſſertatione de *Inveſtitura Principum Imperii ſimultanea* Domus Anhaltinæ ſuccedendi jus impugnavit.

tum ſuccedendi jus tribuiſſe contenderunt. (*c*) Lineæ Zellenſis Brunſvico-Luneburgi Dux, Lauenburgicas ditiones, vetus Brunſvicenſis Domus allodium, Henrico Leoni, Saxoniæ Duci, injuſte ereptum, poſtliminii jure vindicavit; quod jus, initis Lauenburgicos inter & Brunſvicenſes Duces, pactionibus, ſeculo XIV. renovatum. (*d*) Luneburgico Guelpherbytanus ſe oppoſuit, ex linea ſeniore natus quod eſſet. (*e*) Mecklenburgi Dux ad ſucceſſorium quoque pactum, Lauenburgicam inter & Mecklenburgicam Domos A. 1518. conſtitutum, provocavit. (*f*) Sunderburgici rami Holſatiæ Dux, Chriſtianus Rudolphus, Conjugem ſuam, Carolam Eleonoram, Franciſci Henrici, Ducis Lauenburgici filiam, ultimi Ducis conſobrinam, ſtipiti communi gradu propiorem, filiabus ejusdem Julii Franciſci præferendam pertendit. (*g*) Gottorpienſis vero rami Holſatiæ Dux Lauenburgicos octo vicos, de qui-

Tom. III. Mm 2

(*c*) SCHWEDER in *Theatro Prxtenſionum* Tom. II. pag. 440.

(*d*) LUNIG *Grundfeſte Europæiſcher Potentzen Gerechtſame* loco alleg. pag. 172. SCHWEDER loco alleg. pag. 110. Add. FRIDERICUS PHILIPP. STRUBE in *Vindiciis Juris Brunſvicenſis & Luneburgenſis in Ducatum Saxo-Lauenburg.* Gœttingæ editis A. 1754. Badenſium argumenta confutare ſtudet. Cap. VI.

(*e*) SCHWEDER loco alleg. p. 154.

(*f*) LUNIG loco alleg. pag. 183. SCHWEDER pag. 265.

(*g*) SCHWEDER pag. 230.

LVDOV. WILH.

bus cum Ducibus aluerat lites, repetiit. (*h*) Sed Hadeliæ terram, Archiepiſcopatus Bremenſis domanium vetus, a Lauenburgicis Ducibus uſurpatum, ſibi vindicavit Carolus XI. Sveciæ Rex, Archiepiſcopatus, in Ducatum converſi, poſſeſſor. (*i*)

§. LXXXV.

Rei eventus.

Cæſar die 5. Oct. A. 1689. ordinavit, Lauenburgicus Ducatus & Hadelia ut ſubjicerentur ſequeſtro. (*k*) At Luneburgo-Zellenſis Dux, Circuli Inferioris Saxoniæ copiarum Præfectus, præcavendis turbis, occupavit Ducatum, atque jus in eum ſibi aſſeruit; Electoralis Saxoniæ & Brunſvico-Guelpherbytanæ Domuum jura dénique, pactionibus, A. 1703. factis, in ſe ſuamque familiam transferens. (*l*) Lauenburgici Ducatus inveſtituram Ludovico Marchioni ſe collaturum Cæſar promiſit, ſimulac eundem ad Imperium rediiſſe conſtiterit. (*m*) Hadeliæ Terram Aulicus Imperii Senatus A. 1701. filiabus adjudicavit. Carolum XII. Regem Sveciæ, quamvis & ipſe jus ſuum urſerat, hac de re certiorem reddidit Ludovicus, de generoſo ejus animo perſuaſus; petiitque

(*h*) Idem pag. 110.

(*i*) Idem pag. 111.

(*k*) Inſtrumenta extant in ſcripto Bada-Badenſium modo alleg. Documentorum pag. 106. ſq.

(*l*) Transactiones hæ ibidem occurrunt pag. 64. ſq.

(*m*) Literæ Cæſaris datæ die XVI. Julii A. 1690.

Digitized by Google

Lvdov. Wilh.

ab eo, ut ad obtinendam poſſeſſionem ſuum ſibi præſtaret auxilium. Cæſar ipſe ad Sveciæ Regem ſe ſcripturum promiſerat; (n) ſed executio rei ſuſpenſa, ne Svecus offenderetur, quem fœderi pro aſſerenda Auſtriacis Hiſpania acceſſurum ſperaverat. Profligatis autem Caroli XII. rebus, Lauenburgici Ducatus inveſtituram A. 1716. Hadeliæ A. 1731. Electori Hannoverano Cæſar conceſſit; Marchioniſſa apud Cæſarem fruſtra querente.

Ditiones Bohemicæ.

Ad ſolas ergo patrimoniales Bohemicas terras relegatæ ſunt heredes, quas nempe pater earum a matre ſua, Anna Magdalena Poppelia de Lobkowitz, Comitis de Collovrath Zbinkonis vidua, acceperat, quæ A. 1668. deceſſit. Uxori Ludovici Dominia Schlackenwerd, Groſengrün, Theuſing, Udritſch, Pürles, Podersamb, Tœpelsgrün, Hauenſtein & Kupferberg obtigerunt; reliqua ſorori.

§. LXXXVI.

Teſtamentum Franciſcæ.

Franciſca Sibylla A. 1703. die 31. Aug. Aſchaffenburgi, ubi cum Marito, ob bellicas turbas, aliquandiu habitaverat, teſtamentum, Cæſare conſentiente, condidit, eoque ordinavit, ut Bohemicæ hæ Dynaſtiæ, una cum clinodiis & jus in Lauenburgica allodialia, terramque Hadeliæ, certis ſub legibus tranſirent ad filios. Primogenitus omnem maternam ſolus adeat heredita-

Mm 3

(n) Documenta idem Scriptum pag. 108. producit.

Digitized by Google

LVDOV. WILH.

tem; eoque deficiente, fratres poſtgeniti, ex ordine naſcendi. Pater usque ad legitimam ætatem filii, ad quem ſucceſſio pertinet, tutelam & uſumfructum habeat. Legitima ætas ex Bohemiæ legibus æſtimetur. Quod ſi ex ejus matrimonio cum Ludovico Marchione maſculi non ſuperfuerint heredes, ex ſecundo vel tertio Ludovici matrimonio nati ſuccedant. Horum omnium defectu hereditas omnis in Ludovicum conjugem cum liberrima tranſeat poteſtate, filiabus excluſis, quæ arbitrio patris aliquid ex bonis maternis, memoriæ cauſa, accipiant. Succedendi ratio eadem, quæ in Marchia, ſervetur. Marchiæ regimen qui adierit Princeps, ditiones quoque Bohemicas habeat. Filiæ Principes, ex quocunque Ludovici matrimonio natæ, mille quotannis florenos ex Bohemicis terris accipiant, donec vel matrimonio, vel aliter illis fuerit proſpectum. Maſculi ſi maſcula ſine pube deceſſerint, filiæ ex quocunque Ludovici thoro earumve liberi, in omnia Franciſcæ bona ſuccedant in capita, neque ad transverſam lineam devolvatur ſucceſſio, ſed ad deſcendentes Ludovici maneat reſtricta. Alienatio omnis prohibita. Clerici a ſucceſſione excluſi. Dominia, poſt teſtamentum conditum adquiſita, iisdem legibus ſubjecta. Hæc ſumma Teſtamenti.

§. LXXXVII.

Codicilli.

Triginta poſt annos (1733.) die 20. Aprilis Tabulis his Franciſca Sibylla Codicillos adjecit Etlingæ, quibus pleraque

denuo confirmata ſunt capita; nonnullis mutatis. Bona nimirum, quæ ipſa Lauenburgo-Bohemicis ſuis emtione adjecit, eidem primogenituræ & ſubſtitutionis juri ſubjecta, ut & reliqua, quæ ex Lauenburgica ſucceſſione unquam poſſent provenire. Princeps regens maſculam ſi non habuerit ſobolem, poſtgenitus ad propagandam ſtirpem matrimonium ineat cum Principe aut Comite, Romanæ religioni addicta; cujus filii ad Eccleſiaſtica Germaniæ Collegia poſſint admitti. Poſtgenitus, a die connubii, ex reditibus Bohemicis decem mille florenos annuatim accipiat. Bada-Durlacenſis linea, a ſubſtitutione excluſa, Codicillo admittitur. Durlacenſis nempe ille, ad ſacra Catholica qui tranſiturus ſit, Princeps, filiosque in eadem religione educari curaverit, vel qui ex pluribus, Catholicæ religioni addictis, jure primogenituræ propior, in Bohemica Dominia maſculis Bada-Badenſium ſuccedat; ita tamen ut Principibus ejusdem ſenioris Lineæ feminis, quæ fuerint ſuperſtites, ducenta florenorum millia intra octo annos perſolvat. Fideicommiſſi Leges, Franciſcæ deſcendentibus ſcriptæ, in Catholica quoque Durlacenſium linea, ſi quæ oriatur, obtineant. Quod ſi Durlacenſis, religioni Romanæ addictus, non adſit, vel ſi linea ejus extincta, aut ſacra ille Catholica mutet, ſuccedat Maria Anna, Franciſcæ Sibyllæ ex Anna Maria Franciſca ſorore neptis, Palatino-Neoburgica, ejusque maſculi heredes, ex matrimonio cum Ferdinando, Bavariæ Duce, prognati. Princeps Bavarus, Catholicæ Durlacenſi lineæ

ſuccedens, Principibus filiabus Catholicis centum florenorum millia intra quadriennium perſolvat.

§. LXXXVIII.

Obitus & elogium.

Poſt conditos Codicillos Franciſca Sibylla Auguſta deceſſit Etlingæ, die 10. Julii 1733. indeque translata Raſtadium, in Eccleſia Palatii ſepulta eſt. Herois, animo & corpore valida, dignitate & pulcritudine oris vix ulli ſecunda; tanto digna marito, per totos viginti annos tutelam filiorum ac Principatuum regimen prudenter ac fortiter geſſit; eoque depoſito, reliquum vitæ ſuæ ſexennium tranquilla tranſegit Etlingæ; patrimonio Domus Badenſis non parum adaucto. Raſtadienſe Palatium, quod ipſa abſolvit, ornamenta ei & pretioſam ſupellectilem debet. Raſtadii Oratoria duo, Divæ Virgini ſacra, exſtruxit; quorum alterum Lauretani, alterum Einſidlenſis Delubri exhibent formam. Duorum millionum, quibus onerata fuerat Marchia, ſummam, ex Badenſibus & Bohemicis ſuis reditibus, ſolvit; non neglecto tamen Aulæ ſplendore.

Augendis Comitatus Spanheimenſis viribus, Martenſteinii Præfecturam ad Navam a Schœnborniis comparavit Comitibus. Alteram Badenſium Cunigundam & Mechtildem dixiſſes, ſororis ſuæ, Annæ Mariæ Franciſcæ, imitata ſi fuiſſet exemplum; Domuique Badenſi, ut illa Bavaricæ, omiſſa ſubſtitutione, ſuas terras legaſſet.

§. LXXXIX.

Digitized by Google

§. LXXXIX.

Numeroſa ex ea ſoboles prodiit, cujus pars maxima praecoci abrepta eſt morte. Liberi.

1. Leopoldus Wilhelmus, natus 28. Nov. A. 1695. die 16. Maji A. 1696. deceſſit.
2. Charlotta, nata 2. Aug. 1696. † 16. Jan. A. 1700.
3. Carolus Joſephus, natus 30. Sept. A. 1697. † 9. Mart. A. 1703.
4. Wilhelmina, nata 4. Aug. A. 1700. † 16. Maji A. 1702.
5. Ludovica, nata 8. Maji A. 1701. † 23. Sept. A. 1701.
6. Ludovicus Georgius Simpertus, natus 7. Junii A. 1702. Patri A. 1707. ſub tutela matris ſucceſſit.
7. Wilhelmus Georgius Simpertus, natus 5. Sept. A. 1703. † 16. Febr. A. 1709. Marchionum Badenſium ſepulcra in Eccleſia Collegiata Badenſi A. 1754. cum aperirentur, reperta eſt crypta & ſarcophagus formae minoris, qui Principis hujus, in tenera aetate defuncti, oſſa cuſtodit.
8. Auguſta Maria Johanna, nata 11. Dec. A. 1704. Ludovico, Aurelianenſium Duci nupſit A. 1724. Pacta dotalia Raſtadii die 12. Jun. confecta ſunt. Triginta millia librarum Turonenſium ei promiſſa in dotalitium. Donatio propter nuptias doti aequata. Dos autem 20000. florenorum ex teſtamento patris aſſignata eſt ſponſae, quae viciſſim here-

Lvdov. Wilh.

ditati tam paternæ quam maternæ, in favorem utriusque lineæ Badenſis, ſolenni jurejurando pro ſe & heredibus renunciavit. Ducisſa Aurelianenſis vidua, ſponſi mater, una cum filio ſponſo renuntiationi conſenſit. Sponſalia Raſtadii die 10. Julii; nuptiæ die 13. Julii celebratæ ſunt Sarrii (*Sarry*) prope Catalaunum; brevi duraturæ. Poſt biennium enim Auguſta Maria die 8. Aug. A. 1726. in puerperio deceſſit, mater Ludovici Philippi, hodierni Aurelianenſium Ducis, cui avia Franciſca Sibylla decem mille florenos legati nomine per Codicillos reliquit.

9. Auguſtus Georgius Simpertus, natus die 14. Jan. A. 1706. Ludovico Georgio fratri A. 1761. in Marchia ſuperiori ſucceſſit, hodieque ſuperſtes.

Digitized by Google

CAPUT XI.

LUDOVICUS GEORGIUS

A. 1707 — 1761.

§. I.

Ludovicum Guilielmum, Martis ſtudiis deditum, filius pacis cultor excepit, Ludovicus Georgius; bellicos inter tumultus natus, bellicis turbis, dum regeret, non raro agitatus; qui non tam longævitate vitæ, quam diuturnitate regiminis, reliquos omnes Marchiones ſuperavit; Bernhardum & Wilhelmum ſi excipias Marchiones. (*a*) Prodiit in lucem Etlingæ A. 1702. die 7. Junii, & nondum quinquennis A. 1707. patri ſucceſſit.

Ludov. Georg. nativitas.

(*a*) Bernhardus I. per LIX. Wilhelmus per LV. annos Marchiam rexerunt.

Digitized by Google

LUDOV. GEORG. Tutela ejus.

Tutelam ejus mater ſuſcepit, cui Johannes Wilhelmus, Palatinus Elector, & Leopoldus, Lotharingiæ Dux, ex teſtamento patris tutores ſunt additi, quos Joſephus Imperator die 27. Junii A. 1708. confirmavit. Mater, virilis animi femina, per totos XIX. annos Marchiam filii nomine rexit; reſtituendæ œconomicæ rei, cui maritus proſpicere non potuerat, præſertim intenta.

§. II.

Diviſio citer. Spanh. Comitat.

Primis temporibus ſuſceptæ tutelæ de Citeriore (*Vorderen*) Spanheimenſi Comitatu cum Electore Palatino transactionem inivit. Portio hæc Spanheimenſis Comitatus jam a ſeculi XV. temporibus Palatinos inter atque Badenſes fuerat communis. (*b*) Ex quinque illius partibus duas tantum Marchio Badenſis, reliquas Elector Palatinus in commune poſſedit. De abroganda hac communione, perpetuarum litium materia, non ſemel deliberatum. Res agitata præſertim ſub Ludovico Guilielmo. Inſtituti A. 1702. Crucenaci & A. 1706. Francofurti Conventus. Denique poſt ejus obitum die 24. Aug. 1707. facta eſt Crucenaci diviſio, quam Johannes Wilhelmus Elector & Franciſca Sibylla Auguſta per legatos Francofurti firmarunt. Diviſione hac Comitatus Citerioris tres partes ad Electoratum Palatinum ſpectantes, a duabus Badenſium partibus in perpetuum diſtinctæ

(*b*) Vide ſupra Tom. II. pag. 113. 133.

LVDOV. GEORG.

atque ſeparatæ fuerunt. (*c*) Imperii Circulique onera ad priſtinam communionis normam porro pendantur. Duas quintas Badenſis, tres Palatinus perſolvat. Titulus & Inſignia utrique communia ſint Domui. Simultanea, quam vocant, religionis forma, in priſtino permaneat ſtatu. Beinheimenſis transactio, ſub Bernhardo Marchione A. 1425. condita, (*d*) porro perſiſtat.

§. III.

Fridericus Magnus, Durlacenſis Marchio, diviſioni quoque huic ſubſcripſit; cujus morte, paulo poſt inſecuta, Senioratus Domus Badenſis, apud Durlacenſes tum ſubſiſtens, ad Ludovicum Georgium, ex pacis Weſtphalicæ formula, pervenit. (*e*) Varia.

(*c*) In Diviſione Elector Palatinus accepit loca, quæ ſequuntur: *Crucenacum*, *Boſſenheim*, *Schwabenheim*, *Oberhilbersheim*, *Zolzenheim*, *Langenloïsheim*, *Gatislingen*, *Hackenheim*, *Laubersheim*, *Siffersheim*, *Wellſtein*, *Grumbsheim*, *Pleitersheim*, *Wœdesheim*, *Hargesheim*, *Roxheim*, *Weinsheim*, *Treyſſen*, *Guttenberg*, *Sponheim*, *Bockenau*, *Auen*, *Praunweiler*. Domus Badenſis pro duabus quintis partibus ſequentia loca obtinuit: Præfecturas *Kirchberg*, *Koppenſtein*, *Naumburg*. Ex Præfectura Crucenacenſi vicos *Sprendlingen* & *S. Johannis*. Ex Præfectura Simmerenſi vicum *Dentzen* & partem Electoralem vici *Reckerhauſen*. Ex Præfectura Germersheimenſi vicum *Neuburg-Weyer*.

(*d*) Vide Tom. II. pag. 113.

(*e*) Adi vitam Wilhelmi Marchionis §. 18.

LVDOV. GEORG.

Inter hæc bellum, ſeculi hujus initio cœptum, maximam Europæ partem ſuis furiis divexans, vallo Stolhovienſi everſo, præ aliis vehementius afflixit Marchiam; irruptionibus bellicis ſemper quæ patuit prima. In publicis ergo Germanorum Comitiis A. 1708. decretum, ut ea ab omnibus Circulorum & Imperii oneribus, bello durante, perſtet immunis. (*f*)

§. IV.

Pax Raſtad.

Continuatus eſt ſtatus hic rerum ad annum usque 1713. quo Germanica Bellonæ teda, quæ ſola adhuc ardebat, in ipſo Badenſium ſinu cœpit extingui. Raſtadienſe Palatium, Pacis Riſvicenſis partus, reſurgente mox bello, inter incendia ejus fortiter continuatum, tandem pacis, apud Germanos quoque reducendæ, templum evaſit. Anglia, Batavia, Portugallia, Sabaudia, Pruſſia A. 1712. menſe Aprili arma ſua contra Galliam depoſuerunt Trajecti ad Rhenum. Sola in bello perſtitit Germania, quæ & ipſa tandem, Landavia ac Friburgo expugnatis per Gallos, ſe inclinavit ad pacem. Conciliatores ejus Raſtadium, ut fundamenta ibi jacerentur, elegerunt. Eugenius atque Villarſius (*g*) exer-

(*f*) *Electa Juris Publici* Tom. V. pag. 161.

(*g*) Villarſii literas ad Marchionem Tutricem, die 23. Nov. Argentorati ſcriptas, vide in *Electis Juris Publici* Tom. VI. pag. 34.

Digitized by Google

cituum hoſtilium ductores, in Palatio Marchionis convenere die 26. Nov. 1713. ibique die 7. Martii anni ſequentis præcipua pacis capita, *Præliminaria* quæ vocant, definierunt. Dignum, Ludovicus Wilhelmus, ante ſeptennium defunctus, cui intereſſet ſpectaculum. Menſe Septembri ejusdem anni (1714.) Badæ Helveticæ perfecta eſt pax; ab iisdem belli ducibus, Cæſaris & Galliæ Regis nomine ſignata; per viginti annos duratura ad Rhenum, quo felici temporis ſpatio Marchio noſter, res ſuas ordinare, perſolvere debita, omniaque in meliorem ſtatum, quam fuerat unquam, reducere ſategit.

§. V.

Dynaſtia Rodemach.

De pace dum tractaretur Raſtadii, Rodemacherana apud Luxenburgicos Dynaſtia magnam rerum converſionem experta eſt. Dynaſtiam hanc, quæ cum bonis adjunctis, ſeculi XV. fine, Chriſtophoro Marchioni a Maximiliano Imp. collata, (*h*) ſub Hiſpaniæ Regum, ut Luxenburgi Ducum, imperio conſtanter a Badenſibus poſſeſſa, Fiſcus Regius apud Metenſes A. 1713. die 5. Dec. Galliæ Regno addixit; contendens, Dynaſtiam Theodonis-Villano Judicio ſubjectam, poſt Ludovici Guilielmi, Marchionis, in Gallia nati, obitum Albinagii jure pertinere ad Fiſcum, quod filii Marchionis extra Galliam geniti, pro Albinis habendi,

(*h*) Adi Tom. II. pag. 252.

LUDOV. GEORG.

qui Dynaſtiæ in Gallia poſſidendæ incapaces. Ludovici Georgii tutrix non Metis tantum, ſed & apud Regem hac de re fruſtra movit querelas. Ad Helvetio-Badenſem Pacis Conventum res fuit delata. Badenſia in Rodemacheram jura Legatis Cæſareis inter Pacis tractandæ negotia, ſcripto expoſuit Tutrix.

§. VI.

Pax Badenſis.

Pax hæc aboluit, quæ durante bello facta ſunt, ac Rodemacheræ Dynaſtiam terrasque inde pendentes, ad Pacis Riſvicenſis formulam, reſtituit Badenſibus. (*i*) Manſit tamen Theodonis-

(*i*) Art. XII. Pacis Helvetico-Badenſis hæc leguntur: „ Sacra Regia Majeſtas Chriſtianiſſima promittit non minus Sacræ Cæſareæ Majeſtati & „ Imperio ſeſe reſtituturam omnibus Imperii membris, Clientibus & „ Vaſallis, Eccleſiaſticis & ſecularibus, nominatim Electori Trevirenſi, „ .... utrique Domui Badenſi & generaliter omnibus, pace Riſwicenſi „ comprehenſis, licet hi ſpeciatim expreſſi non fuerint, quæcumque „ territoria, Civitates, loca & bona, quæ proxime præterito bello aut „ ejus occaſione, ſive armis, ſive confiſcatione aut alio quocunque „ modo, Paci Riſwicenſi contrario, occupaverit, quamvis hoc tractatu nominata non ſint, uti & plenarie & accurate executuram omnes „ conditiones & Clauſulas pacis Riſwicenſis, quibus per præſentem „ Tractatum expreſſe derogatum non eſt, ſi quæ poſt concluſam dictam „ pacem Riſwicenſem executione caruerint vel poſtea mutatæ fuerint. „ Add. Art. XXV. „

Digitized by Google

donisvillanæ jurisdictioni ſubjecta; & ab judicio hoc ad Regium Metenſem Senatum (*Parlement*) provocatio fit. A longo jam tempore Galliæ Rex veteranorum militum præſidium Rodemacheræ tenet.

Ex ejusdem Inſtrumenti Pacis decreto propugnacula, e regione Huningæ, in dextra Rheni ripa & inſula, ut & Sellingenſe, aliaque Ortenaviæ munimenta, in Badenſi ditione exſtructa, æquata ſunt ſolo. Terræ cum ædificiis reſtitutæ ſunt Domui Badenſi. (*k*)

§. VII.

Lites cum Albæ Dominab.

Publica quiete utrique Marchiæ reſtituta, forenſes cum Monaſterio Albæ Dominarum Marchioni exortæ ſunt lites. Illæ

(*k*) Art. VIII. hæc verba habet: „ Curabit Rex Chriſtianiſſimus ſuis impenſis „ ſolo æquari munimenta, e regione Huningæ in dextra ripa & inſula „ Rheni exſtructa; ſimiliter, & qui illic eſt, pontem Rheni, fundo cum „ ædificiis Domui Badenſi reddendo. Deſtruentur eadem ratione mu- „ nimenta, cum Sellingenſe, tum alia, in inſulis inter illud & Fortali- „ tium Ludovicianum ſitis, facta, uti & pontis pars, quæ ducit a Sel- „ lingenſi ad Ludovicianum, & quod e regione Ludoviciani in dextra „ Rheni ripa conſtructum eſt, a neutra parte deinceps reparanda, fun- „ do pariter cum ædificiis Domui Badenſi reſtituendo. Fortalitium „ Ludovicianum vero & inſula penes Regem Chriſtianiſſimum perma- „ nebit. „

LUDOV. GEORG.

enim abſque præſcitu & conſenſu ejus, Mariam Gertrudem Ichtersheimiam A. 1715. ſibi Abbatiſſam elegerunt; quæ, ſpretis Badenſium mandatis, libertatem monaſterii, ſeculo ſuperiore magnis motibus agitatam, reducere ſtuduit. Rejecta a Monialibus transactio, quam cum Wilhelmo Marchione A. 1655. iniverant. (*l*) Lis ad Cameram Imperii A. 1722. delata. Tutrix eodem anno Mandatum, quod vocant, pœnale, contra eas impetravit. Sed & hæ cauſam ſuam fortiter ſcriptis egerunt. Lis durat hodieque. (*m*)

§. VIII.

Cum Schwarzac.

Iisdem temporibus contentio cum Schwarzacenſi Benedictinorum Abbatia recruduit. Marchio A. 1721. nuptias Vindobonæ celebrans, Cœnobitis, eorumque ſubjectis, ſupplicationem indixit. Abbas indictionem rejecit, nonniſi Advocatiæ Eccleſiaſticæ jura tribuens Marchioni. Hic eodem anno Cameræ Imperialis ſibi proſpexit Mandato, quo Monachis interdictum, ne in exercitio Suprematus turbarent Badenſem. Lis in Camera magno utrimque inſtaurata ardore. Marchioni A. 1726. die 20. Sept.

(*l*) Vide ſupra p. 121. ſq.

(*m*) Badenſes A. 1722. die 17. Julii Cameræ Imp. Commentarium exhibuerunt, cui titulus: *Supplicatio pro mandato pœnali de non amplius denegando domino ſuo territoriali & Advocato Eccleſiaſtico ſolitam & ab immemoriali tempore præſtitam obedientiam &c.*

LUDOV. GEORG.

injunctum, deciſionem litis ut expectaret tranquille. (*n*) Et hæc lis in Camera pendet.

§. IX.

Ab altera Rheni parte, in Tractu Hunnorum quem vocant, cum Birckenfelda - Palatino Comite de Spanheimenſi Comitatu contentiones exortæ ſunt. Wolfenſis Cœnobii, pridem ſeculo addicti, reditus, ut & jus circa ſacra, in ulteriore (*Hinderen*) Spanheimenſi Comitatu Birckenfeldenſis ſibi ſoli, Badenſibus vindicavit excluſis. Tutrix cum filio Marchione, recipiendi homagii, ut & Pacis Caſtrenſis jurandæ cauſa, (*o*) A. 1717. ſe contulit Trarbacum; quod ejusdem Comitatus oppidum eſt. Occaſio tum nata, ut de Comitatus diviſione cum Birckenfeldenſi

Comitat. Spanheim. ulterior.

(*n*) Schwarzacenſes A. 1728. ediderunt Librum, cui titulus: *Actenmæßige Geſchichts-Erzehlung in Sachen Hochfürſtl. Durchl. Herrn Ludwig Georg Marggrafen zu Baaden - Baaden contra Herrn Abten und Convent des Cloſters Schwarzach, Benedictiner Ordens &c. &c.* Scriptum hoc Collectioni ſuæ inſeruit *Auctor Selectorum J. P.* Tom. XXXVII. ſeq. Badenſes A. 1730. oppoſuerunt Diatribam hoc titulo: *Species facti cum extractu actorum prolixo & candido deductioneque juris &c.*

(*o*) Cerimonia hæc bellicas ob turbas dilata, A. 1717. ſuſcepta eſt, quod hoc ipſo tempore Chriſtianus III. Comes Palatino - Birckenfeldenſis patri ſuo Chriſtiano II. ſucceſſit.

LVDOV. GEORG.

præſente tractaretur, qui a conſilio hoc ſe non alienum oſtendit. Sed de modo diviſionis quum conveniri non poſſet, perſpecta rei difficultate, abruptum eſt diviſionis negotium; quam antiquis Domus utriusque pactis, Pace Weſtphalica annoque decretorio firmatis, adverſari Birckenfeldenſis contendit. (*p*) Cæſar tamen A. 1723. eidem injunxit, diviſioni ut concederet locum. Sed, intercedente apud Cæſarem Evangelico Corpore, res caruit ſucceſſu. (*q*)

§. X.

Gravamina religionis.

Durante hoc negotio, in eodem ulteriore Spanheimenſi Comitatu gravamina contra Badenſem prodierunt, quæ Chriſtianus III. Birckenfeldenſis ad Corpus quoque Evangelicum detulit. Eodem fere tempore Citerioris Spanheimenſis Comitatus, ut & Dynaſtiæ Malbergenſis incolæ, Proteſtantium ſacris addicti, de violatis ſuis juribus protulerunt querelas. Evangelicis ſatisfacturus Cæſar, Tutricem Badenſem A. 1722. hortatus eſt literis, ut gravaminibus abolitis, in eum, qui ante Pacem fuerat, ſtatum

(*p*) Prodiit tum liber: *Facti Spécies und Deduction, woraus erhellt, daß Chriſtianus III. Pfaltzgraf zu Birckenfeld in die Abtheilung der mit dem Fürſtl. Haus Baaden - Baaden in Gemeinſchafft beſitzenden Niedern Graffſchafft Sponheim nicht zu willigen vermöge.*

(*q*) Literas Corporis Evangelici die 29. Aprilis 1724. datas exhibet SCHAUROTH *Concluſor. Corp. Evangel.* Tom. III. pag. 683.

Digitized by Google

Lvdov. Georg.

res illas reduceret. Neque tamen hic finis querelarum, quas ſub Ludovici quoque Georgii regimine eidem Evangelici non ſemel repetierunt. (r)

§. XI.

Lites cum Nobilit. Ortenav.

Eadem tempeſtate (1722.) cum Equeſtri Immediatorum Nobilium Ortenaviæ Ordine, ratione feudorum, aliorumque bonorum, Matriculæ Equeſtri inſcriptorum, inita eſt transactio. Quum autem novæ identidem lites eſſent exortæ, facta denique A.1755. nova transactio, vi cujus certam pecuniæ ſummam Marchio Ordini quotannis promiſit ratione bonorum, ab eo poſſeſſorum, quæ Ordinis Equeſtris matriculæ inſcripta ſunt.

Oo 3

(r) Gravamina Proteſtantium *utriusque Spanheimenſis Comitatus* A.1715. ſqq. mota, vide in Schauroth Tom. II. pag. 748. 755. 840. Tom. III. pag. 76. *Malbergenſia* Tom. III. pag 83. & 154. Interceſſiones Evangelici corporis intuitu gravaminum Martinſteinenſium ob bona Eccleſiaſtica, Proteſtantibus oblata, & ſimultaneum introductum A. 1729. ſeqq. extant ibidem Tom. II. pag. 151. ſeq. & Tom. III. pag. 152. Contra Gravamina Malbergenſia Badenſes ediderunt Diatribam, cui titulus: „ Wiederlegung der Religions-Klagden, welche von denen Unterthanen der Herrſchafft Malberg wider das Fürſtl. Hauſs Baden-Baaden bey dem Reichs-Convent zu Regenſpurg vorgetragen worden. „ In ſcripto hoc contendunt Badenſes, ad A. 1624. quem Pax Weſtphalica religionis normam ſtatuit, non obligari Marchionem; qui ex ſententia Cæſaris & ex amniſtia reſtitutus, jus liberum reformandi conſervaverit.

LVDOV. GEORG.

Confirmata quoque denuo jura reciproca, antiquitus obſervata. Sed & liberum Marchioni eſt, Equeſtribus intereſſe Conventibus ſuumque ſuffragium in iisdem per Nobilem immediatum exercere.

§. XII.

Ludov. regimen adit.

Adolevit inter hæc apud patrios lares Ludovicus Georgius. Advenerat tempus, ut exterorum quoque populorum cognoſceret mores. Primum iter A. 1718. ſuſcepit ad Batavos; anno ſequente Italiam, A. 1721. varias Principum Germaniæ Aulas adivit. Ætatem legibus definitam cum A. 1727. die 7. Junii attigiſſet, Marchiam ipſe regere cœpit.

Dignit. militar.

In Militia Cæſarea in Cohortis (*Regiment*) Badenſis Præfectura patri ſucceſſit. Per gradus militares dein altius aſcendit. Tormentariæ rei in Svevico Circulo denique præfectus eſt, quam dignitatem in ſua quoque Militia Imperator, Imperium & Imperatrix eidem contulerunt. Aurei Velleris Equitem Carolus VI. A. 1732. Marchionem noſtrum conſtituit.

§. XIII.

Bellum Polon.

Anno ſequente Polonica electio Regis, poſt Auguſti II. exceſſum, non modo apud Polonos, ſed & apud Germanos bellum ſuſcitavit ad Rhenum. Vim Staniſlao Regi, ſocero ſuo, a Ruſſis illatam, Ludovicus XV. vindicaturus armis, Carolo VI. Imp. fœ-

derato Ruſſorum intulit bellum. Kehla menſe Octobri A. 1733. oppugnata & capta. Ludovicus Georgius, injuriis bellicis Raſtadii expoſitus, ad Bohemos ſuam transtulit ſedem, Schlackenwerdæ belli finem expectaturus.

Inter ipſos hos motus Marchio Heſperingæ Dominium, in Luxenburgico Ducatu, a longo jam tempore oppigneratum, A. 1734. redemit ac Rodemacheræ ſuæ reddidit. Legatus ab eo miſſus eſt Metas, qui utriusque Dynaſtiæ, Rodemacheræ nimirum & Heſperingæ, inveſtituram a Curia ſuprema ejus nomine accepit. Heſpering.

§. XIV.

Redux in Marchiam, promovendis ibi literis, Collegium Piarum, quas vocant, Scholarum A. 1736. pro duodecim Sodalibus Raſtadii inſtituit; Palatio vicinum. Aſſignata eis annua 1700. florenorum penſio; ex Schlackenwerdanis, reliqua ex Badenſibus ſolvenda reditibus. Viginti duo poſt annos in Spanheimenſi quoque Comitatu eorundem Sodalium Kirchbergæ conſtitutum eſt Collegium minus. Joſephus Caſalanzius, (s) in Regno Aragoniæ natus Peraltæ A. 1556. ex nobili gente Sodalitatis, eſt auctor. Romæ cum viveret, Doctrinæ Chriſtianæ Congregationi, quæ vocatur, ſe junxit, atque ad pueros a tenera ætate in rebus, ad vitam ſocialem pertinentibus, inſtituendos, ſe applicuit, ſub Piariſtæ.

(s) Nonnullis *Calaſanzius.*

Digitized by Google

LUDOV. GEORG.

Clemente VIII. Paulus V. A. 1617. inſtitutum hoc in Congregationem convertit; quæ *Paulina* dicebatur. Gregorius XV. A. 1621. Societati huic *Congregationis Clericorum Regularium Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum* impoſuit nomen. Alexander VII. A. 1656. ſecularem ei reddidit ſtatum, quem ab initio habuerat. At A. 1669. Clemens IX. regularem apud eos ordinem reduxit. Nudis pedibus aliquandiu incedebant. Alexander VIII. A. 1690. uſum hunc ſuſtulit. Veſtitus eorum Jeſuitico ſimilis. Pontifici Romano ſine medio ſubjecti ſunt. Diſciplina eorum ſalutaris & utilis fecit, ut brevi tempore in orbe Catholico ſe late extenderent. Puerorum ſcholis enim humaniorum quoque literarum & philoſophicas tandem ſcholas addiderunt. (*t*) In Ordinum Mendicantium claſſe cenſentur.

§. XV.

Pax Aquisgran.

In Pace Aquisgranenſi, qua cruentum illud ſeptennale de ſucceſſione Auſtriaco-Germanica bellum A. 1748. compoſitum eſt, Electori Hannoverano promiſſa cum fuiſſet Germanicarum ejus ditionum ſecuritas, (*u*) Ludovicus Georgius ratione juris ſui in Lauenburgicum Ducatum A. 1749. in Comitiis ſibi intercedendum puta-

(*t*) De Vita Joſephi de Caſalanz, extat liber ſingularis Gallice ſcriptus. Add. PHILIPPUS BONNANI *in Catalogo Ordd. Relig.* Part. I. HELYOT *Hiſtoire des Ordres Monaſtiques* Tom. IV. Cap. 39. pag. 282.

(*u*) Articulo XX.

Lvdov. Georg.

putavit. (*x*) Interceſſio aliis quoque repetita temporibus. (*y*)

A. 1752. Marchio noſter ſolennem ditionum & jurium ſuorum inveſtituram ab Imperatore Franciſco I. accepit; annoque ſequente Eccleſiam Collegiatam Badenſem, a Jacobo I. Marchione inſtitutam, ſed A. 1689. hoſtili combuſtam incendio, ſplendide ſuis ſumtibus reſtituit.

§. XVI.

Geſta reliqua.

Decreverant A. 1754. Sveviæ Ordines, ex Kehla, munimento Imperii, ut deducerentur præſidia. Ludovicus Fürſtenbergius, Kehlæ Præfectus, ad Comitia Imperii ſcripſit, æquanda eſſe ſolo munimenta & ædificiorum reſidua Philippiburgum transferenda, ut reparandis ibi rebus ſervirent. Ludovicus Georgius, poſt deducta Imperii præſidia, ſuo milite Kehlam firmavit, atque Fürſtenbergii conſilio ſe in Comitiis oppoſuit; ſua in munimentum hoc dominii jura defendens.

Paulo poſt manifeſtarunt ſe Ortenavicæ turbæ. Zellæ ad Hammersbacum, quæ libera eſt Imperii in Ortenavia Civitas, Præfecturam agnoſcens, incolarum contra magiſtratus ſeditio A. 1760. orta eſt. Marchio, ad quem, ut Ortenaviæ Præfectum,

(*x*) *Selecta Juris Publici* Tom. XXI. Cap. 10. §. 2. p. 375.

(*y*) A. 1750. 1751. 1753. 1757. 1761. Saxoniæ Electori quæ A. 1750. oppoſuerit Marchio, vide in *Selectis Juris Publici* Tom. XXIII. Cap. 3. §. 6. p. 120.

tutela loci ſpectabat, gravibus literis vim omnem interdixit, miſſisque Gengenbacum, quod Zellæ vicinum Præfectoriale quoque Ortenaviæ oppidum eſt, militibus, per legatum ſeditioſis injunxit, ut arma deponerent, atque ad priſtinum Magiſtratus ſui redirent obſequium. Redierunt tandem; abductæ ſunt copiæ; Civitas ſuæ reddita quieti.

§. XVII.

Obitus & ſepultura.

Poſt diuturnum regimen LIV. annorum, quos inter viginti fuerunt bellis turbati, Ludovicus Georgius, pectoris hydrope laborans, A. 1761. die 22. Oct. deceſſit; in Collegiata Badenſi, quam ſplendido Parentis ſui Herois monumento ornavit, apud Majores ſepultus.

Character.

Princeps ſine fuco bonus, beneficus, mitis, moderatus, & juſtus, ſobrietatis ac temperantiæ amans, caſtus; voluptatis & deliciarum ignarus; fallere neſcius; in amicitiis conſtans, faſtus & arrogantiæ oſor; quæ vera ejus, non ficta, imago. Studiis Dianæ, præ omnibus, ad finem usque vitæ, indeſinenter, vel inter morbum addictus; ſilvas, ſaltus & nemora amœniſſimis hortorum viridariis, uti cibos obvios dapibus Saliaribus, nunquam non prætulit. Et tamen Aula ejus fulgens ſemper ac ſplendida fuit; qualis Principem, tantis majoribus ortum, decebat. Forma corporis proceram inter & humilem media fuit. Ex ore & oculis affabilitas ejus & clementia eluxit. Raſtadium

ædificiis publicis, non paucis, adauxit. Palatium æſtivum, quod *Favoritam* appellant, leucæ ſpatio Raſtadio diſtans, ad Italicæ elegantiæ formam a Matre exſtructum eſt, vera Dryadum ſedes, vicina Eremo.

§. XVIII.

Uxor. & liberi.

Bis maritatus fuit Ludovicus Georgius. Prima ejus uxor fuit Maria Anna, Adami Franciſci Caroli, Principis Schwartzenbergici, filia, quæ lucem aſpexit die 25. Decembris 1706. nuptias celebravit die 18. Aprilis 1721. mortua die 12. Januar. 1755. Princeps, forma corporis & animi præſtans. Ex matrimonio hoc prodierunt:

1. Eliſabetha Auguſta Franciſca Eleonora, nata die 16. Martii A. 1725. ex liberis patri ſola ſuperſtes; patris effigies & imitatrix virtutum. Hæc accipiet ducenties mille florenos, pro illis Bada-Badenſium allodialibus bonis, in quæ illa aliquid juris, mortuo parente, habere potuiſſet. Conventio hæc facta eſt, vivo parente.
2. Carolus Ludovicus Adamus, natus die 25. Aug. 1728. qui A. 1734. die 6. Julii ſexennis deceſſit.
3. Ludovicus Georgius Johannes Nepomucenus Bernhardus Wenceslaus, natus 11. Aug. 1736. qui anni ſequentis die 11. Martii abiit ad plures.

LVDOV. GEORG.

Extincta Schwarzenbergica Principe, Marchio viduus Mariam Joſepham Annam Auguſtam, CAROLI VII. Imp. filiam, nuptiis ſecundis ſibi conjugem adjunxit. Hæc nata 7. Aug. 1734. nupta 10. Jul. 1755. ſobole caruit, ſuperſtes marito, Etlingam vidua ſibi ſedem elegit, ubi ſocrus ejus, poſtremis vitæ ſuæ annis, vixit & deceſſit; ubi maritus primam lucem aſpexit. Princeps religioſa, ſcientiarum amans; hiſtoricæ doctrinæ a teneris imbuta; Auguſtæ Domus ſuæ viciſſitudines, prærogativas & illuſtria fata præ aliis cognoſcens.

Digitized by Google

CAPUT XII.

AUGUSTUS GEORGIUS

Ab A. 1761. Regnans.

§. 1.

Ludovici Wilhelmi natu junior filiorum, Auguſtus Georgius, Raſtadii die 4. Jan. A. 1706. in lucem editus; patrem anno inſequenti amiſit. Deſtinatus Eccleſiæ in Cathedralem Colonienſium receptus eſt Chorum die 10. Apr. 1726. Biennio poſt inter Auguſtanæ Eccleſiæ Domicellares cooptatus. Muſis litaturus, profectus eſt Senas Julias, (*Siena*) quæ amœniſſima Hetruriæ Civitas, literis ornata; ibique plures commoratus per annos, ſacris & ſecularibus ſtudiis incubuit, ad annum usque 1730. quo mutavit conſilium & ſubdiaconalem togam, quam eodem anno ſumſerat, commutavit cum ſago. Quinquennio poſt progreſſus eſt ad nuptias; Linea Bada-Badenſis pluribus ut muniretur præſidiis. Auguſti initia.

Pp 3

§. II.

Dignitates militares.

Eccleſiæ valedicens, honoribus militiæ pedetentim cumulatus eſt. Batavia, quæ Badenſem Cohortem (*Regiment de Baden*) in militia ſua a longis temporibus nutrit, Auguſtum Marchionem, non modo Cohortis hujus præfectum, ſed & Campi Mareſchallum, ut vocant, Locumtenentem Generalem conſtituit. Poſterior hæc dignitas ab Ordinibus Sueviæ ipſi quoque delata & poſtea aucta eſt, Circuli ſui Equitatum ducendum quum Ei committerent.

Equitatus Imperii Præfectus Generalis conſtitutus A. 1757. Equitatum Imperii duxit in bello. Campi Mareſchallus Locumtenens Generalis exercituum MARIAE THERESIAE, Imperatricis Reginæ, deſignatus eſt anno ſequenti.

§. III.

Fratri ſuccedit.

A. 1761. Ludovico Georgio fratri, maſcula ſine prole defuncto, in Marchia Bada-Badenſi Auguſtus Georgius noſter ſucceſſit, ſedemque adeo ſuam Bada, ubi hactenus vixerat, Raſtadium tranſtulit. Aurei velleris torque donatus a Cæſare, a Carolo Eugenio, Wirtenbergæ Duce, menſe Nov. A. 1762. in Equitum receptus eſt ordinem, ſplendida cerimonia, quæ in Aula Ducali peracta. Parochialis Raſtadii Eccleſia, S. Alexandro, Papæ Martyri dedicata, in medio civitatis ædificata; magnæ molis opus, A. 1764. fere perfecta, a Cardinali Epiſcopo Spirenſi inaugurata eſt.

Digitized by Google

§. IV.

A. 1765. Auguſtus Georgius cum Carolo Friderico Durlacenſi, mutuæ ſucceſſionis & unionis pactum die 28. Januarii inivit; virtute cujus in omnibus magni momenti rebus mutua conſilia & auxilia promiſſa; utrique lineæ in alterius avita & acquiſita bona firmiter ſtabilita ſucceſſio; eumque in finem Marchionatuum Badenſium terrarumque, ab illis pendentium, incolæ jusjurandum ſubjectionis & fidei utrique Marchioni ſimul præſtiterunt. Cerimonia per delegatos ubique cum ſucceſſu peracta. Religioſa & Weſtphalica pax, publicæ apud Germanos tranquillitatis Palladium, Gentilitii hujus pacti baſis & fundamentum eſt. Dignitati viduarum & filiarum Principum Marchicæ Domus proſpectum. Proſpectum Eccleſiis, Ordinibus ſacris, Civibus eorumque religioni, privilegjis & juribus. Proſpectum Officialibus Curiæ atque Militiæ; ſummis & infimis. Proſpectum Toparchis, Regionum ac Silvarum Præfectis, eorumque miniſtris. Proſpectum eſt denique viduabus Officialium & orphanis publicæque Marchionatus utriusque ſaluti. Terrarum juriumque Marchicæ Domus alienatio in perpetuum & omnino prohibita. Pactum opportunum, cautum & prudens; quo ſalutarius Badenſis Hiſtoriæ nulla Epocha offert. Pactum mutuæ ſucceſſionis.

§. V.

Sed & documentum eſt benignitatis & curæ, quam Auguſtus Georgius ad fu... quoque ſecula extendit; providus Prin- Elogium Auguſti.

Augusт. Georg. ceps, populorum ſuorum amore fratri haud impar, qui nihil apud eos geri vult, cujus ipſe non conſcius, qui ſanctioribus conſiliis nunquam non intereſt, ſcrutator & præſes; qui omnes ſibi ſubditos cives ad Palatium quotidie admittit, eorumque querimonias benignus exaudit. Frater Dianam ſecutus in ſilvis. Auguſtus Pomonam colit in hortis; quos plantat & ornat; non oſor Dianæ; nec oblitus Muſarum, quibus ſplendidam exedram in Palatio parat; deſtinatam Bibliothecæ Majorum; quam Regimen adiens, Raſtadium Bada juſſit transferri; elegantiarum Aulæ amator; amabilis exteris; quos recipit benigne; nec a ſe, niſi omnibus humanitatis teſtimoniis cumulatos, dimittit.

§. VI.

Conjux. Auguſti Georgii conjux eſt Maria Victoria, ex inclyto Arembergæ in Eiflia Domus ſanguine nata. Leopoldi Philippi Caroli Joſephi, Ducis Arembergæ, Crojæ & Arſcoti, S. Rom. Imp. Principis, filia, nata die 26. Oct. 1714. nupta Neuhuſii in Bohemia die 7. Dec. 1735. concordi connubio, maximeque felici, ſi ſimilem ſui edidiſſet ſobolem; cui heroicæ ſuæ mentis virtutes inſtillare potuiſſet; magna prolis ſuæ & patriæ mater.

Numismata.

23.30 vol III
304 a

NUMISMATA BADENSIA BERNHARDINAE LINEAE



Digitized by Google

Digitized by Google


2330 Vol III
304b

Digitized by Google


TAB I

B. BERNHARDVS.

I




II



III



IV




Digitized by Google

2.3 30 Vol III

304c

IOHANNES
ELECTOR TREVIRENSIS

I



II



III



IV



Digitized by Google

Digitized by Google


23.30 III

30i. d

Digitized by Google

TAB. III

CHRISTOPHORVS.



Digitized by Google

2.3 30 Vol III 304 e

IACOBVS.
ELECTOR TREVIRENSIS.

I




II



BERNHARDVS ET ERNESTVS
FRATRES.



PHILIPPVS.



Digitized by Google

2.3.35 vol III 30 H f


Digitized by Google

TAB V.

BEATRIX
CHRISTOPHORI FILIA.



CAECILIA.



2 3.30 vd III


30h g

EDVARDVS
FORTVNATVS.

I



II



Digitized by Google

Digitized by Google

2 3.30 Vol III 306 h

Digitized by Google


TAB VII

WILHELMVS

I



II



III




Digitized by Google

8.3.30 Vol III


TAB. III

WILHELMVS

IV



V



MARIA.

WILHELMI FILIA.




Digitized by Google

2 3.30 vd III 304 l

Digitized by Google

TAB IX




Digitized by Google

2.330 Vol III

304 m

LVDOVICVS WILHELMVS.



Digitized by Google

Digitized by Google

ℓ.3.30 Vol III

30k n

Digitized by Google

TAB.XI.


LVDOVICVS WILHELMVS.




2330 vol III


3040 (2)

LVDOVICVS
GEORGIVS.





MARIA IOSEPHA
LVDOV. GEORG. CONIVX.



Digitized by Google

NUMISMATUM
BADA - BADENSIUM
EXPOSITIO.

Eminentiora inter Regalia Principum cenſetur jus cudendæ monetæ. In Francorum Germanorumque Imperio Regibus atque Cæſaribus primitus illud competiit ſolis. Hi cum Proceribus, præſertim Eccleſiaſticis, tractu temporis illud communicarunt. Inter Epiſcopos Germaniæ primus fuit Rataldus, Argentoratenſium Antiſtes, cui primus Germaniæ Rex Ludovicus in quacunque ex villis ſuis monetam cudendi immunitatem conceſſit. Privilegium datum eſt A. 873. in Aquisgrani Palatio. (*a*) Argentei Bracteati & quidem unilaterales inter vetuſtiores ſunt Germaniæ nummos, qui ſub Ottonibus ſeculo X. comparere cœperunt. (*b*) Hoc ipſum eſt tempus, quo Argentifodinæ Goslarienſes apud Saxones detectæ.

(*a*) Alsatia Illustr. Tom. II. pag. 319.

(*b*) Doederlinus de *Nummis Germaniæ Mediæ* §. 26. pag. 31.

Quo tempore Marchiones Badenſes monetandi jus exercere cœperint, nobis non liquet. Cum plerisque Germaniæ Principibus hoc habent commune, in quorum Tabulariis hujus generis Diplomata raro occurrunt. Electoribus Germaniæ auream monetam cudendi poteſtatem Aurea Bulla Caroli IV. A. 1356. conceſſit; unde evidens eſt, argenteæ cudendæ jus eos jam ante habuiſſe. Monetarum medii ævi raritas non tam ex raritate argenti, quam ex eo procedit, quod quinque per ſecula invaluerat bracteata moneta; cujus fragilitas raritatis eſt cauſſa. Nummophylacia Badenſium, & vicinorum remotiorumque Germaniæ Principum; quin & Auguſtiſſimi Cæſaris divitem antiquitatis numismaticæ theſaurum conſuluimus; ſed Chriſtophorianis antiquiores non invenimus nummos Badenſes; ſi Hermannianos illos duo excipias; qui in frontiſpicio comparent.

FRONTISPICIUM TABULARUM.

Numismata Zaringiæ Ducum nulla ſuperſunt. Bernates Helvetii, Bertoldi V. conditoris ſui memores, non imaginem ejus, ſed nomen ad ſeculum usque XVII. ſuis Aſſibus impreſſerunt. Frontiſpicii noſtri ſuperior pars, ad dextram, & ad ſiniſtram, talem exhibet Aſſem. Siniſtra crucem ſiſtit, cum quatuor liliis, ad crucis angulos vergentibus. Inſcriptio: BERCTOLD. D. ZERING. FUN. *Bertoldus Dux Zeringiæ fundator.* Dextra facies urſum, Bernenſium inſigne, repræſentat in Scuto cum Epigraphe: MONETA BERNENSIS 1529.

Duas inter facies Aſſis Zaringicum poſuimus Sigillum, in quo Zaringicus Leo, erectus gradiens, cum inſcriptione: BERCHTOLDUS DUX ZERINGIAE & BURGUNDIAE RECTOR. Sigillum hoc ceræ albæ Bertoldi IV. ex Altæ Ripæ Monaſterio Helvetiæ ad me miſſum. Simile extat in Charta San-Petrina Baſilienſis Capituli. (c)

Inferior Frontiſpicii pars continet nummos, qui Badenſium Origines ſpectant. Antiquiſſimus omnium, quos novimus, Argenteus quoque Aſſis eſt Hermanni Marchionis; a parte antica referens crucem, ac duos inter circulos nomen *Herimannus*. Poſtica pars turrim crucigeram ſiſtit; quæ indicat Briſacum, ubi cuſus eſt nummus. Literæ majuſculæ, quæ exprimunt PRISAC, ita diſtributæ ſunt, ut tres ad dextrum, tres ad ſiniſtrum turris latus, ordine perpendiculari, poſitæ compareant. Nummus ſeculi XII. Hermanno tribuendus videtur Marchioni, ex Zaringis tertio. Urbs hæc Zaringica inter Brisgoviæ fuit allodia, quæ Lineæ juniori, ſeu Marchicæ obvenerunt. Senior enim fuerat Zaringo-Ducalis. Plurima inſignis hujus nummi Hermanniani exempla ſeculo ſuperiore reperta ſunt Sultzbergæ; quod oppidum quoque fuit patrimoniale Zaringicum, in Brisgoviæ Provincia. Vidit eos & delineavit Gamanſius in Genealogia

(c) *Altæ Ripenſis Sigilli Chartam* Tom. V. qui Diplomaticus primus, pag. 124. Chartam Petrinam exhibet pag. 112.

Marchionum Badenſium MS. (*d*) ubi ita ſcribit: „ Num-
„ mi e puriſſimo argento per ea tempora cuſi, non ita pridem
„ apud Sultzbergam neſcio quæ inter rudera ſat magno numero
„ poſt aliquot ſeculorum tenebras reperti, ex una parte inſcri-
„ ptum nomen HERMANNI exhibent, ex altera turris ſeu
„ Caſtri effigiem cum his literis BRISAC.„

A nummis ad nummulos progredior. Duo bracteati, qui ſupra Hermannianum in Frontiſpicio comparent, ſeculi XIII. ſunt. Alter Badenſem & Auſtriacam parmulas, in umbone conjunctas qui habet, Hermanni VI. Marchionis Badenſis, & Gertrudis Auſtriacæ, conjugis ejus, quam A. 1248. in matrimonium duxerat, moneta eſt, ante A. 1250. quo Hermannus jam deceſſit, excuſa.

E regione hujus qui conſpicitur bracteatus, Auſtriaca faſcia & ſuperaddita corona inſignis, Friderico Bellicoſo, Auſtriæ Duci, Gertrudis noſtræ patruo, adſcribendus eſt, qui regiam dignitatem a Friderico II. Imp. accepit. HERRGOTTUS (*e*) eum Alberto I. vel Friderico Pulchro, vel Alberto II. Auſtriacis Germaniæ Regibus, tribuit, ſed antiquiorem ejus eſſe ætatem, ipſa nummi forma oſtendit.

Hachbergenſium & Sauſenbergenſium Marchionum nulli nummi comparent.

(*d*) De qua egi Tomo I. in Præfatione.

(*e*) HERRGOTTUS *Monumentor. Auſtriacor.* Tom. II. Part. I. Tabula I. nummulum Hermanni VI. & ibidem in *Prolegomenis* pag. 17. Fridericianum repræſentat.

Digitized by Google

TABULA I.

B. BERNARDUS

Jacobi Marchionis Filius.

Chriſtophorus I. Marchio Badenſis celebrandæ patrui ſui B. Bernhardi, apud Mon-Calerienſes in Pedemontio ſepulti, memoriæ quatuor nummos diverſæ magnitudinis & formæ, partim aureos, partim argenteos, cum ejus effigie tota & ſtante juſſit excudi; quos Tabula prima exhibet; quosque ſingulos exponimus ordine.

I.

Argenteus deauratus quadrangularis; ubi B. Bernhardi cataphractati imago; caput circumdatum nimbo; dextra tenens vexillum Badenſe; ſiniſtra clypeum cum Inſignibus Badenſibus, addito nomine:

BEAT. BERNARD. MARC.

Beatus Bernhardus Marchio.

In parte poſtica comparent tria ſcutula, juxta ſe poſita: Bada-Spanheimenſe, Hachberga-Uſenbergenſe & Malberga-Lahrenſe cum lemmate germanico:

TRIW UND STET EWIG.

Fidelis & conſtans perpetuo.

Addita Æra 1501. Annus nimirum, quo ſignatus eſt nummus. Germaniæ Numiſmatum Commentatores obſervant, ante A. 1405. vix nummum reperiri, qui exprimat Æram. Formæ Turonenſis ex argento Groſſum Aquisgranenſes tum primum cuſerunt.

II.

Nummus forma duplicis Aurei, quem vocant Ducatum. Eadem B. Bernhardi imago cum nomine. Ab averſa parte Bada Spanheimenſis clypeus, cum inſcriptione: MONETA NOVA BADENSIS. 1513.

III.

Nummus argenteus, magnitudine Groſſi Cæſarei, in quo eadem inſignia, eademque inſcriptio.

IV.

Ducatus cum Bada-Spanheimenſi clypeo, clypeolis cincto, in quibus reliqua Domus Badenſis Dominia, cum inſcriptione: MONET: AUR: BAD: 1519. In antica idem Bernardus: eademque epigraphe.

Digitized by Google

TABULA II.
JOHANNES ELECTOR TREVIRENSIS
Filius Alter Jacobi Marchionis.

I.

Nummus argenteus, ex claſſe eorum, qui *Groſſi* & *Turonenſes* dicuntur, D. Petrum, Trevirenſis Eccleſiæ Patronum, repræſentans, ſedentem in Cathedra; ad cujus pedes ſcutum Badenſe cum inſcriptione:

JOH. ELEC. ET CONF. T.

Johannes electus & confirmatus Trevirenſis.

In averſa parte ſcutum quadripartitum; Inſignia Trevirenſia & Badenſia decuſſatim exhibens. Ad latus ſcuti Moguntina, (*f*) Colonienſia & Palatina viſuntur Inſignia cum verbis:

MONE NOVA COVE.

Moneta nova Covelenſis.

Confluentiæ ac Treviris Monetarias officinas conſtituerunt Electores Treverici. Quatuor Electores Rheni Monetarium inter ſe

(*f*) Groſſos Turonenſes, in quibus Rota Moguntina exhibetur, vulgus olim vocavit *Rader Albus.* Rota Moguntina ſeculo demum XIII. in Gerhardi Archiepiſcopi ſigillo occurrit apud Gudenum in *Sylloge Diplomat.* pag. 325. In nummis autem Rota citius comparet. Extat in nummis Sigfridi III. qui A. 1230. electus eſt & A. 1249. Bingæ deceſſit.

Digitized by Google

fœdus illo tempore iniverant. (*g*) Unde juncta eorum in nummis inſignia. A. 1409. Eccleſiaſtici Electores ſoli Conſtitutionem inter ſe communem ediderunt: (*h*) Nummi, qui *Groſſi* vocantur, Galliæ ſuam originem debent. Sub Ludovico IX. Rege apud Turonos cuſi ſunt primum, unde *Turonenſes*. A Gallis deinceps ad Germanos tranſierunt, apud quos *Turnoſen* appellati, qui in Caroli IV. Imp. Diplomatibus frequentes. Vocabantur etiam *Groſſi Albi*, nigris oppoſiti; quibus nempe multum æris admixtum: Pondus eorum octava pars unciæ, ſive drachma, Gallis *Gros*; *Groſſum* latine ſcribentes vocarunt; *Groſchen* Germani. Nummum noſtrum HONTHEMIUS (*i*) & JOACHIMUS (*k*) exhibent.

II.

Trevirenſis denarius, cum ſcuto bipartito, in quo Trevirenſia & Badenſia comparent inſignia. Litera J. Johannis, Electoris Treverici, ex Domo Badenſi, indicat nomen.

III.

(*g*) THOMANI *Acta Monetalia* produnt hoc Pactum, quod vocatur *Münz-Vertin*.

(*h*) WENCKERUS in *Apparatu Archivorum* pag. 363.

(*i*) *Hiſtor. Trevir. Diplom. & Pragmat.* Tom. II. pag. 885. Tabula II. num. 22.

(*k*) JO. FRID. JOACHIM in libro: *Groſchen Cabinet* Tom. IV. pag. 259.

III.

Confluentinæ CivitatisGroſſus excipit Trevirenſem, in quo D. Petrus iterum cum clavibus; ad dextram crux, ejusdem Eccleſiæ ſymbolum; ad ſiniſtram clypeus Badenſis. Inſcriptio: JOHANNES: ARCHIEPS: TREVER: In averſa crux, in cujus angulis quatuor ſtellæ. Supra crucem ſcutum Badenſe. Inſcriptio duobus circulis includitur. In majore: AUXILIUM MEUM A DOMINO. In minore:

GROSSUS COVELE.

Groſſus Confluentiæ cuſus.

Nummum hunc HONTHEMIUS (*l*) & JOACHIMUS prodiderunt. (*m*)

IV.

Sequitur Bracteatus formæ cavatæ, atque adeo unilateralis. Clypeus ibi quadripartitus, cum quatuor Rhenenſium Electorum teſſeris, uti ſupra. (*n*) Doctiſſimo NELLERO (*o*) hunc nummum debemus, quem ille Jacobo Præſuli Trevirenſi, Johannis ex fratre nepoti, adſcribit. Litera ſolitaria J. in nummi ſummi-

(*l*) Loco alleg.

(*m*) *Groſchen-Cabinet* Tom. IV. Tab. XIII. num. 110. pag. 258.

(*n*) Tab. II. num. I.

(*o*) Liber ex ipſis nummis docte conſcriptus, prodiit hoc rubro: „ *Kurzer* „ *Bericht von den Gemein - Rheinlændiſchen Pfenningen und Hellern;* „ vid. pag. 44.

tate comparens, Johanni æque ac Jacobo attribui poteſt. Lubentius adſcriberem Johanni. Jacobi nummus tres literas inipotiales exponit, ut ex Tab. IV. apparet.

TABULA III.
CHRISTOPHORUS.

I.

Nummus argenteus elegans, qui ſemiflorenum forma & pondere ſuperat. Chriſtophorus, pileo Principali decoratus, exprimitur cum verbis: CHRISTOF. D. G. MARCHIO BADENSI. Ab altera parte Badenſia & Spanheimenſia occurrunt inſignia, decuſſatim poſita, cum Æra 1519. & Epigraphe: MONETA ARGENTEA BADENSIS.

II.

Groſſus Imperialis Badenſibus & Spanheimenſibus Inſignibus, uti prior, ornatus. MONETA NOVA BADENSIS 1506. Antica pars B. Chriſtophori, Chriſtum geſtantis, imaginem cum expreſſo ejus nomine, ſiſtit.

III.

Nummus ejusdem, cum præcedente magnitudinis, Badenſi & Wirtenbergicæ Domibus communis; ab una parte prioris, ab altera poſterioris teſſeras exhibens, cum nominibus:

CHRISTOF. MARGR. DE BADE. ULRI. ET EBER. COMI. DE WIR.
Chriſtophorus Marchio de Baden, Ulricus & Eberhardus Comites de Wirtenberg.

Ad Rhenenſium Electorum exemplum Chriſtophorus & Albertus Marchiones, fratres, A. 1475. cum Ulrico ejusque ex fratre nepote Eberhardo, Wirtenbergicis Comitibus iniverunt conventionem Leonbergæ (*p*) A. 1477. renovatam. Electorum Rhenenſium Monetalia fœdera (*q*) Principes excitarunt vicinos, ut & inter ſe pacta de monetis inirent.

IV.

Nummus quadrans Aſſis, in qua Bada - Spanheimenſis teſſera & CHRISTOF. MARCHIO BAD. Ab altera parte crux, cum Epigraphe: GLORIA IN EXCELSIS DEO.

TABULA IV.
JACOBUS ELECTOR TREVIRENSIS
CHRISTOPHORI FILIUS.

I.

Nummus imaginem Petrinam more ſolito repræſentat & ante eum ſcutum Treviro - Badenſe cum verbis:

(*p*) Confer Tom. II. pag. 240.
(*q*) A. 1417. Moguntinus, Trevirenſis ac Palatinus Electores, ut & Juliaci Dux,

JACOB: AEP: TREVER:

Jacobus Archiepiſcopus Trevirenſis.

In averſa clypeus quadripartitus, ubi Trevirenſis & Badenſis teſſeræ alternant. Ad ſcuti majoris latera ſunt duo minora, cruce ſignata, ſymbolum Trevirenſe. Infra ſcutum comparet ſcutellum, roſa ornatum; Eberſteinenſium teſſera, cujus Comitatus dimidia pars ad Badenſes tum pertinebat; qui poſtea & alteram junxerunt. Inſcriptio: MONETA NOVA COVE. id eſt, Confluentina. (r)

II.

Bracteatus formæ cavatæ, in ſcuto bipartito Bada-Trevirenſia Inſignia exhibens. Sigla IAC. in unam literam contracta & ſuperimpoſita ſcuto, Jacobum Archiepiſcopum indicat. (s)

A. 1444. quatuor Electores Rheni de Moneta cudenda convenerunt. Conventiones dedit HONTHEMIUS in *Hiſt. Trevir.* Tom. II. pag. 359. & 401.

(r) HONTHEMIUS in *Hiſtoria Trevir.* nummum hunc prodit. Tom. II. Tabula II. Numism.

(s) Germanis *Blechmünzen*, *Holmünzen.* Monetæ ſpecies, Gallis ignota; de qua DOEDERLINUS aliique peculiaribus Libris diſſeruerunt. Ex Germania in Angliam Daniamque Bracteatos nummos tranſiviſſe OTTO SPERLINGIUS exiſtimat in *Diſſertatione de Nummis non cuſis* pag. 130. ELIAS BRENNERUS in *Theſauro nummorum Sueco-Gothicorum* pag. 1. ſeq. Suecicos bracteatos ex ſeculo nono producit.

BERNHARDUS ET ERNESTUS FRATRES.(*t*)

Fraternæ concordiæ Bernhardi & Erneſti, Marchionum, index & teſtis A. 1533. percuſſus eſt nummus; cujus antica pars capita repræſentat fratrum jugata; qui duas Marchicæ Gentis Lineas, quæ ſuperſunt, condiderunt. Capita eorum non pileo, ſed reticulo, crines involvente, teguntur; quales in Chriſtophorianæ familiæ tabula Chriſtophorus pater & Bernhardus noſter occurrunt. (*u*) In moneta noſtra legitur:

BERNARD. ET ERNEST. FRAT. GERMA. MARCHION. BADEN.

Bernhardus & Erneſtus fratres Germani Marchiones Badenſes.

Poſtica: GERMAN. FRATRUM CONCORDIAE SACR. A. MDXXXIII.(*x*) *Germanorum Fratrum Concordiæ Sacrum.*

PHILIPPUS
PHILIBERTI FILIUS.

Nummus argenteus cum imagine Philippi Marchionis & Inſcriptione: PHILIPPUS MARG. BADE. GRAF Z. SPANHEIM. In parte averſa ſcutum quadripartitum, cujus prima & quarta parmula Spanheimenſes teſſellas; ſecunda quadriſariam diviſa duas roſas & totidem apros Eberſtei-

Rr 3

(*t*) Vide ſupra pag. 6.

(*u*) Tom. II. pag. 288.

(*x*) Nummum hunc exhibet KOEHLERUS *Hiſt. Münz-Beluſtigung* Tom. I. pag. 361.

nenſia inſignia, refert. Tertia in duos eſt diſtincta laterculos; quorum alter baltheum Lahrenſem, alter leonem Briſgoicum ſiſtit. In medio totius ſcuti baltheus Badenſis principem occupat locum. Septem galeæ ſcutum cingunt, quarum tres ſuperiores coronatæ ſunt. Media earum, quæ proprie Badenſis eſt, arietina duo cornua, introrſus denticulata, ſuſtinet. Galeæ, mediam tangentes, caudis pavoninis ornantur. Inſcriptio: GOT GNAD. *Deus ſecundet.* (y)

TABULA V.

BEATRIX

CHRISTOPHORI FILIA.

Nummus effigiem ſiſtens Beatricis, Chriſtophori filiæ, nuptæ Johanni, Comiti Palatino, Lineæ Simmerenſis. Averſa nummi pars tripartitum clypeum offert, cujus prima pars leonem Palatinum, altera rhombos Bavaricos, media Badenſem baltheum ſiſtit. Superſcripta eſt Æra MDXXXI.

Nummus ergo quadriennio ante quam Beatrix moreretur, eſt cuſus.

CAECILIA.

Cæcilia, Guſtavi I. Sveciæ Regis filia, antequam nuberet Chriſtophoro Rodemachera - Badenſi, fratri Philiberti, promiſſa

(y) KOELERUS *Hiſt. Münz - Beluſtigung* Tom. I. p. 361.

fuerat uxor Johanni Tencinio, Polonico Comiti, ex illuſtri & antiqua Sarmatiæ proſapia nato, (z) quam Carolus V. & Ferdinandus Impp. A. 1527. & 1561. in Ordinem Comitum Imperii receperunt, noviſque auxerunt inſignibus. Zegotha, Cracoviæ Palatinus, in bello contra Boruſſos & Lithuanos A. 1281. exercitus Dux, quatuor filios habuerat, quos inter Navogius in Silva Tenczinia Caſtrum & oppidum hujus nominis A. 1319. exſtruxit, quæ tranſierunt ad poſteros, nomenque Tencziniæ Genti dederunt. Andreas, primogenitus filiorum Navogii, lineam Tencziniam condidit, (a) uſus nomine Tenczinsky, atque A. 1366. Palatinus Cracoviæ fuit. Filius ejus Jaſco, illuſtris Orator, reliquit filium Johannem, Caſtellanum Cracoviæ, mortuum A. 1407. qui filios quinque reliquit.

Nicolaus, natu minimus Sileſiam Tencziniorum Comitum Lineam condidit.

Gabriel, Caſtellanus Cracoviæ, tres filios reliquit, quorum poſtremus, Stanislaus Gabriel, Bielskenſis, dein Cracovienſis Palatinus, pater fuit Johannis Baptiſtæ, cujus imaginem exhibet Cæciliæ noſtræ nummus. Joh. Baptiſta erat Bielskenſis Palatinus, Lublini Staroſta. Hunc Sigismundus Auguſtus, Poloniæ

(z) Vide ſupra pag. 47.

(a) Jaſco frater ſecundus, Oſſolinskios Poloniæ, Januſſius, tertius fratrum Morawizkios in Sileſia condidiſſe ſcribitur. Sinapius *Rer. Sileſ.* Tom. II. pag. 251.

Rex, ad Guſtavum I. Sveciæ Regem miſit Legatum. In aula hac apud omnes tanta floruit gratia, ut Cæciliam, filiam ſuam in matrimonium ei Rex Guſtavus concederet. Sed ante nuptias iter ſuſcepturus domum, a Dano prædone captus, mancipatus eſt carceri, in quo periit febre. JOHANNES. COMES. A. TENCIN ſimpliciter vocatur in nummo, qui eximiæ raritatis eſt, vix alibi viſus, quam in nummario Imperatoris FRANCISCI Theſauro. (*b*)

TABULA VI.

EDUARDUS FORTUNATUS.

I.

Nummus unilateralis; argenteus, formæ ovatæ. Eduardi Fortunati, cataphracta induti, effigies eum Epigraphe: EDUAR. FORTU. MARCH. BADE. ET HOCHBER. (*c*) *Eduardus Fortunatus Marchio Badenſis & Hochbergenſis.*

II.

Nummus A. 1590. argenteus, magnitudine Uncialis, Eduardum repræſentans loricatum & armatum, cum ſiglis: EDUARD: FORTUN: D: G: MARCH: BADEN: CO: S: *Eduardus Fortunatus Marchio Badenſis Comes Spanheim.*

(*b*) JOH. FRIDERICUS JOACHIM, Profeſſor Halenſis, in Libro, cui rubrum: *Neu-eröffnetes Münz-Cabinet*, Parte II. nummum hunc æri dedit inciſum, ac pro more ſuo erudite expoſuit pag. 225.

(*c*) KOEHLERI *Hiſtoriſche Münz-Beluſtigung* Tom. VIII. pag. 113.

Ab altera parte inſignia ſunt Marchica, Badenſis nempe Baltheus, cum quatuor ſcutulis; in quibus I. Spanheimenſes teſſellæ, II. Eberſteinenſis roſa. III. Lahrenſis baltheus. IV. Leo Briſgovius comparent. Inſcriptio: QUI. DISTULIT. NON. ABSTULIT. IPSE. ME. PROTEGAT. (d)

TABULA VII.
WILHELMUS.

I.

Nummus argenteus, forma ſemiſſis, in quo duplex Imperii aquila, cum cruce & ſuperaddita corona. FERDINAND. II. D. G. ROM. IMP.

Averſa facies Badenſia & Spanheimenſia deigmata, decuſſatim in ſcuto poſita, exhibet, cum verbis:

WILH. D. G. MARC. BADEN. C. SPON.

Wilhelmus Dei Gratia Marchio Badenſis Comes Sponheimenſis. Æra 1624. adjecta indicat, nummum vel primum, vel certe ex primis eſſe, quem Marchiæ ſuæ reſtitutus Wilhelmus percuſſit.

II.

Nummus argenteus, in quo ejusdem Wilhelmi comparet imago cum verbis: GUILHELM: D: G: MAR: BAD: ET HACHB:

(d) KOEHLERI *Münz-Beluſtigung* Tom. XVI. pag. 117.

In averſa ſcutum quadripartitum, cujus prima & quarta parmula Spanheimenſes teſſellas, ſecunda Eberſteinenſem roſam & aprum, tertia Lahrenſem baltheum & leonem Briſgoicum exprimit. In medio ſcuti parmula princeps, ubi baltheus Badenſis & Epigraphe:

COE: SPON: ET. EBERS: D: IN. LOHR. ET. MAL.
Comes Sponheimenſis & Eberſteinenſis Dominus in Lohr & Malberg.

Nummus biennio poſt præcedentem eſt cuſus.

III.

Nummus alius argenteus, cum Wilhelmi togati effigie & titulis:

GUIL. D.G. MAR. BAD. ET. HACH. LANDG. IN. SAUS.
Guilielmus Dei Gratia Marchio Badenſis & Hachbergenſis Landgravius in Sauſenberg.

In oppoſita parte rotundus eſt clypeus, cujus area ſuperior Spanheimenſes teſſellas, roſam & aprum Eberſteinenſem, cum leone Briſgovico; media primariam parmulam, cum baltheo Badenſi, Badenvillano palo & ala Uſenbergica ſiſtit. In infima regione Rœtelanæ ſunt faſciæ & leo exſurgens; Baltheus Lahrenſis, leo Malbergenſis & Spanheimenſes teſſellæ. Inſcriptio:

C. IN SPO. ET EB. D. IN RO. BA. LO. ET MA.
Comes in Sponheim & Eberſtein Dominus in Ræteln Badenweiler Lohr & Malberg.

Nummus A. 1638. prodiit.

Digitized by Google

TABULA VIII.
W I L H E L M U S.
IV. V.

Nummi duo unciales argentei, quorum alter cuſus A. 1624. alter A. 1626. Uterque præfert Wilhelmi imaginem. In poſtica Badenſis clypeus omnino ſimilis eſt clypeo Philippi, quem Tab. V. deſcripſimus. Inſcriptio: GUILHELM9. D. G. MAR. BAD. ET HACH. COM. SPAN. ET EBERS. DNS. IN LOHR ET MALB.

MARIA
WILHELMI FILIA.

Nummus memorialis baptiſmi Mariæ Marchioniſſæ Badenſis, filiæ Wilhelmi, cum verbis:

FERDINAN. III. D. G. HUN. BOH. REX AR. MARIAM WILHELMI MAR. BA. FILIAM. E. S. FONTE BAPT. LEV. BADENÆ VII. AUG. MDCXXXVI.

Ferdinandus III. Dei gratia Hungariæ Bohemiæ Rex Archidux Mariam Wilhelmi Marchionis Badenſis filiam e ſacro fonte baptiſmi levavit. Badenæ VII. Auguſti 1636.

In averſa parte libra cum ſuperaddita cruce, gladius & ſceptrum, decuſſatim poſiti, cum lemmate: FIRMAMENTA REGNORUM.

Emblema hoc occurrit quoque in nummo, qui cuſus eſt in memoriam coronationis Ferdinandi III. Hungariæ & Bohemiæ Regis. (*e*)

TABULA IX.
LUDOVICUS WILHELMUS.

I.

Nummus Ludovici Wilhelmi adoleſcentis, virtuti ejus excitandæ cudi juſſus a patre, avus cum adhuc viveret atque in Marchia regnaret. LUDOVICUS WILHELMUS D. G. MARCHIO BADENSIS F. F. *Ferdinandi Filius.*

In averſa parte cernitur aquila tendens ad ſolem, quam aquilula ſequitur. Lemma eſt: NON DETERIORA SEQUENDO. Singularem in educando filio curam Ferdinandi Maximiliani ſuo loco expoſui. (*f*) Heraldicis, Genealogicis & Hiſtoricis rebus a patre innutritus eſt.

II.

Nummus victoriæ, ad Salankemenum a Turcis A.1691. reportatæ, (*g*) teſtis; in quo Ludovicus cum ſiglis: LUDOVICUS WIL-

(*e*) Uterque nummus extat in *Groſchen-Cabinet*, *Zweites Fach*, Tab.IV. num.33. & in *Supplemento I.* Tab. XI. num. 126.

(*f*) Supra pag. 141.

(*g*) De qua ſuperius egi pag. 204.

Helmus marchio BADENSIS ET HOCHbergenſis. Exercitus Cæſarei Generalis LOCUMtenens.

Ab altera parte DEO FORTUNANTE ARMIS INVICTISSIMI LEOPOLDI Magni DUCE LUDOVICO WILHelmo Marchione BADenſi ET HOCHBergenſi AD SALANKEMEN PROPE PETERWARADinum Die $\frac{19}{9}$ Auguſti A. 1691. TURCæ 25000. DELETI CASTRA EXPUGNATA TORMenta 158. CAPTA TAURI 10000 TENTORia TOTIDEM CAUDæ Equorum 4. SIGNA PRETORia 14. EQUI 5000. CAMELI ET MULI 2000. DESIDERATIS MAGNO VIZIRIO AGA JANIzariorum AC SERASkierio. VIVAT AUSTRIA.

III.

Sequitur alius, in honorem Ludovici tum cuſus, galeati, equo inſidentis, effigiem, militumque inter ſe prœliantium, agmina ſiſtens; cum verbis:

LUDOV. GUILIELMUS MAR. BAD. S. C. M. EXERCIT. SUMMUS DUX.

Ludovicus Guilielmus Marchio Badenſis Sacræ Cæſareæ Majeſtatis exercituum Summus Dux.

In poſtica Leo, perſequens lupos, cum verbis: NON CURAT NUMERUM.

Digitized by Google

TABULA X.
LUDOVICUS WILHELMUS.
I V.

Expeditionem ad Rhenum A. 1693. cum ſuſcepiſſet Ludovicus, prodiit nummus, Ludovici imaginem & titulos exhibens: LUDOV. WILH. MARCH. BAD. HOCHB. S. C. M. GENER. LOCUMT. CAMPIMARISC.

Ludovicus Wilhelmus Marchio Badenſis Hochbergenſis Sacræ Cæſareæ Majeſtatis Generalis Locumtenens Campimariſcallus.

In altera parte Ludovicus ſtans & converſus ad ſolem. Rhenus ſub ſenis barbati & perculſi ſpecie aſſidet. A tergo Fama, Turcicis onuſta ſpoliis, Marchionis capiti lauream imponit. Luna e longinquo conſpicitur. Addita ſunt verba: UT LUNÆ SIC SISTE GRADUM NUNC IOSUA SOLIS. In inferiore parte nummi: MARS BIS ULTOR VICTOR TURCAR. PERPETUUS EXPEDITIONEM CONTRA GALLOS AD RHENUM AGGREDITUR.

V.

Londinenſe Marchionis iter (*h*) nummo hoc celebratum ab Anglis. Imago Regis offertur cum verbis:

WILHELMUS. III. D. G. REX. F. D. P. A.

Wilhelmus III. Dei Gratia Rex Fidei Defenſor Pius Auguſtus.

In poſtica idem Rex ad portam palatii ſui ſtat, capite adaperto, pileum manu tenens & Ludovico advenienti porrigens

(*h*) Lege ſupra pag. 215.

dextram. E longinquo ſatellitium Regis cum Epigraphe:

RECEP. BADENS. LOND.

Receptio Badenſis Londini.

Adſidet femina, digito labra premens, ad cujus pedes Imperii Germanici & Angliæ Regni comparent inſignia; quibus pileus ſuperimpoſitus, cum verbis: JUNXIT LIBERTAS AUXIT SECRETUM. X. Jan. MDCXCIV. (*i*)

V I.

Initio belli, ob ſucceſſionem Hiſpanicam orti, Ludovicus contra Gallos cum exercitu miſſus eſt ad Rhenum. Nummo cudendo hinc occaſio nata, cum effigie Ludovici armati: LUDOVICUS WILHelmus MARCHIO BADENſis EXERCITUS CÆſarei GENeralis LOCUMTENENS.

In altera parte Bellona galeata, haſtata, manu ſiniſtra parazonium tenens, ad cujus pedem ſiniſtrum eſt vexillum liliatum, columna everſa & fracta, cui gallus gallinaceus adſtat. Ad dexteram Palladis ſedet Britannia, clypeum tenens, in quo leo, cum Epigraphe: SEMPER IDEM.

In ambitu leguntur verba: VIRTUS CONSTANS DUCIS FORTISSIMI. Additur Æra 1702.

In margine: NEC SATIS EST MERUISSE SEMEL COGNOMINA MARTIS. (*k*)

(*i*) VAN LOON *Hiſtoire Metallique des Païs bas* Tom. IV. pag. 156.

(*k*) VAN LOON loco alleg. pag. 380.

Digitized by Google

TABULA XI.
LUDOVICUS WILHELMUS.

VII.

Celebratur hoc nummo illuſtris ad Schellenbergam victoria, Ludovico & Marlboroughio Ducibus, A. 1704. a Gallis reportata. Ludovicus loricatus, quem hæc verba circumdant: LUDOVICUS WILHelmus Marchio BADENſis EXercitus CÆsarei GENeralis LOcumtenens.

Ab altera parte Donawerda Civitas cum munitionibus ad Schellenbergam. Danubius ſenex, coronato capite, coronam tenens vallarem, aſſidet ripæ. Addita inſcriptio: HOSTE CÆSO FUGATO CASTRIS DIREPTIS AD SCHELLENBERGAM DONAWERDÆ 1704. In margine: VIRTUTE PRINCIPIS ET SOCIORUM VIA VICTORIIS INSEQUENTIBUS APERTA. (l)

VIII.

Nummus in victoriæ Hochſtadienſis memoriam cuſus, in quo Duces fœderatorum EUGENius DUX SABAUDIæ LUDOVicus WILHelmus MARCHIO BADENſis JOHANNES DUX MARLENBURGius. Imagines eorum ſingulis exhibentur ſcutellis,

(l) VAN LOON pag. 418.

Digitized by Google

lis, quæ ſub feminarum alatarum ſpecie duæ Victoriæ tenent, cum Inſcriptione: PROBATA SOCIORUM VIRTUS FIDESQUE. Sub Ducum effigiebus legitur: HIS TUTELARIBUS FRANCONIA SERVATA SVEVIA LIBERATA. 1704

Averſa nummi facies Victoriam ſiſtit, bellico inſidentem tormento; quæ ſiniſtra clypeum tenet, cui diem prœlii (XIII. AUG.) inſcribit; clypeum affixura tropheo, quod ad Danubii ripas erigit. Danubius, ſub hominis ſpecie, in altera fluvii ripa ſedens comparet. Inſcriptio: TALLARDO franciæ MARESCHALLO CUM MULTIS DUCIBUS & X. MILLIBUS MILITUM CAPTIS.

Inferius legitur: GALLIS BAVARISQUE DEVICTIS. In margine: DEFENSA FORTITER CONTRA GALLOS ET BOIOARIOS GERMANIA.

I X.

Florenus argenteus, Ludovicum ſolito more repræſentans, cum inſcriptione: LUDOVI: GUILIELM: D: G: MARCH: BA: &: H: L: S: &: O: C: S: &: E: D: R: B: L: &: M:

Ludovicus Guilielmus Dei Gratia Marchio Badenſis & Hochbergenſis Landgravius Sauſenbergæ Ortenaviæ Comes Spanheimenſis & Eberſteinenſis Dominus Rætelæ Badevillæ Lahræ & Malbergæ.

Poſtica Badenſe exhibet ſcutum in tres regiones diſtinctum. Regionis ſuperioris parmula prima Spanheimenſes teſſellas, ſecun-

Digitized by Google

da roſam & aprum, Eberſteinii ſymbola; tertia Leonem Briſgoicum oſtentat. In medio ſcuti baltheus Badenſis, quem ab uno latere palus Badevillanus, cantheriis diſtinctus, ab altero Uſenbergica ala ſtipat. Infima ſcuti regio quatuor laterculos continet, in quorum primo Rœtelanæ faſciæ, ex quibus eminet leo; Secundo baltheus Lahrenſis; Tertio Malbergenſis leo; denique Spanheimenſes teſſellæ comparent. Corona clauſa impoſita ſcuto, quod aurei velleris cingitur torque. In ambitu: MONETA NOVA ARGENTEA BADENSIS.

Æra 1704. ſuperaddita.

TABULA XII.

LUDOVICUS GEORGIUS.

I.

Raſtadienſia Pacis, quae Præliminaria dicuntur, A. 1714. in Palatio Marchionis ſancita, nummo huic cudendo occaſionem dederunt. Ludovici Georgii & Franciſcæ Sibyllæ, matris ejus, comparent imagines. Columba, expanſis alis, ramum olei roſtro tenet. Badenſia & Lauenburgica Inſignia duo clypei, inter ſe juncti, continent. Inſcriptio duplex. In circulo majore: LUDOVICUS. MARCHIO Badenſis. FRANCISCA SIBYLLA AUG. GUBERNATRIX. In minore: DABO PACEM IN FINIBUS VESTRIS. *Levi:* 26.

Pars averſa Raſtadienſe Palatium oſtentat & Aquilam, quæ parat nidum. Ambitus duplex. In interiore legitur: NIDUM PACIS HIC INSTRUO. In exteriore: PAX RASTADII IN ARCE COMPOSITA EST. Infra additur: ET IN LOCO ISTO DABO PACEM.

II.

Nummus formæ minoris, in memoriam matrimonii inter Ludovicum Georgium & Annam Schwarzenbergicam cuſus. In adverſa parte clypeus duplex, in quo Badenſia & Schwarzenbergica inſignia. Adduntur tedæ nuptiales, decuſſatim poſitæ & fune circumdatæ, cum lemmate: UTRIUSQUE GENTIS INCREMENTO. In averſa legitur: JUNCTIS FELICI MATRIMONIO LUDOVICO MARG. BAD. ET MARIA ANNA PR. SCHWARZENB. LAND. CLEG. MDCCXXI. Landgraviatus Cleggoviæ à Schwarzenbergicis poſſidetur.

MARIA JOSEPHA.

LUDOVICI GEORGII CONJUX SECUNDA.

Nummus memorialis matrimonii, Ludovicum Georgium inter & Mariam Joſepham, Principem Bavaricam, initi. Mariæ Joſephæ imago cum titulis: MARIA JOSEPHA, CARO-

LI VII. CÆS. AUG. FILIA LUDOVici Marchionis BADenſis CONJUX.

Poſtica Badenſem & Bavaricum clypeos, corona clauſa tectos, ſiſtit in colle, cui ſub hominis ſpecie Rhenus inſidet. In imo: NATA VII. AUG. MDCCXXXIV. NUPTA X. JUL. MDCCLV.

Digitized by Google

ORTENAVIAE
NOTITIA
CAPUT I.

§. I.

Ortenavia (*a*) Pagus olim fuit Alemannici vel Svevici Ducatus, triginta leucarum longitudine a Bleicha (*b*) ad Oſam & Murgam amnes, Rhenum inter & Nigram Silvam ſe extendens. Briſgoviam a meridie, Uſgoviam (*c*) ſive Marchiam Badenſem a ſeptentrione attingit. **Ortenaviæ ſitus.**

(*a*) Mortenavia Mortinhauga. Conf. Alsatia Illustrata Tom. I. pag. 674.

(*b*) Bleicha in Eltziam, hæc in Rhenum ſe effundit.

(*c*) Olim Usgovia, a rivo Oſa, prope Badam; uſu hominum paulatim in *Uſgoviam* converſa, quæ Pfinzigoviæ & Albigoviæ Pagis contigua. Oſa haud procul Raſtadio infunditur Murgæ. Murga prope vicum *Steinmaurern* jungit ſe Rheno, nonniſi unius leucæ a Raſtadio diſtantia. Oſa & Murga Ortenaviæ & Epiſcopatus Argentinenſis verſus boream ſunt li-

Ortenaviæ Domini.

In fertili hoc tractu, æmulum quem Briſgoviæ dixeris, variæ & intermixtæ ſunt terræ, quæ diverſos Imperii Proceres dominos agnoſcunt. Floret ibi Præfectura Cæſarea, quæ ſuper tres Liberas Imperii Civitates, Offenburgum, Gengenbacum & Zellam, (*d*) multosque ſuper vicos ſe Imperiales extendit. Sunt ibi terræ, ad Domum Auſtriacam, ad Epiſcopum Argentinenſem, ad Marchiones Badenſes, ad Principes Naſſovios, ad Haſſo-Lichtenbergenſes, ad Furſtenbergios & Comitem a Leyen quæ ſpectant. Viget ibi Corpus immediatum Equeſtre. Vigent quatuor Regulæ Benedictinæ Monaſteria, Gegenbacenſe, Ettenheimenſe, Schutterenſe & Schwarzacenſe. Abbatia denique Omnium Sanctorum, quæ Præmonſtratenſium Ordinis eſt. In eadem Ortenavia medio ævo Ganerbialia quinque Caſtra extiterunt; Staufenberg, Wiedergrün, Schauenburg, Fürſteneck & Iberg; non Equeſtribus modo quamplurimis, ſed & ex Principum ordine Familiis communia, quæ cum ipſis Ganerbiorum ſtirpibus longa ætas deſtruxit.

mites. Murga a fontibus ad oſtia XII. leucas conſtituit. In Comitatu Eberſteinii orta per vallem uberem & fertilem defluit, quæ ab ea vallis Murgæ vocatur. De Ortenaviæ limitibus diſſeruit jam olim Paulus Volzius, Hugonis Curiæ Benedictinorum in Vilarienſi Alſatiæ Valle Abbas, Eraſmi amicus. Vide CRUSII *Annal. Sueviæ* Lib.II. Part.3. p. 105.

(*d*) Zellæ annumerantur Vallis Hammersbacenſis incolæ, qui ad flumen habitant diſperſi.

§. II.

Comites Ortenaviæ.

Ortenavia ſub Franciæ & Germaniæ Regibus Comites ſuos habuit Pagenſes, qui nomine Regum incolis jura dixerunt. In Charta Ottonis M. A. 691. Hartperto Epiſcopo Curienſi data, (e) legitur: „ In Comitatu Mortenuua villa Tuntelinga (f) „ Suuarzaha Monaſterium in honore St. Petri conſtructum, cujus „ advocatus Chuonradus Comes. „ In Inſtrumento donationis, Monaſterio Waldkirchæ (quod deinceps in Eccleſiam Collegiatam converſum) ab Ottone III. A. 994. factæ, Pagi Mortenuuæ & Cuononis Comitis mentio occurrit: (g) A. 994. XI. Kal. Jan. „ Otto III. Imperator Curtem Nuzbach, (h) quæ per traditionem bonæ memoriæ Burghardi Alemannorum Ducis ſtrenuiſſimi ſuæque contectalis Hadwigæ ad jus regium pervenerat in „ pago Mordenouua & in Comitatu Cuononis Comitis ſitam „ Monaſterio Waldkiricha in prnprium tradidit. Actum Saſpach. (i) „

(e) Charta Curienſis Epiſcopatus ex Aegidii Tschudii *Miſcellaneis Helveticis MSS.* Tomo I. Aſſervantur in Monaſterio Engelbergenſi Helvetiæ.

(f) Subinde ſcribitur Dindelinga, hodie *Dinglingen* prope Lahram.

(g) *Codex Diplom. Bad. A. 994.*

(h) Nuſsbach prope Oberkircham.

(i) Ex Autographo Collegiatæ Eccleſiæ in Waldkirch in Nigra Silva.

§. III.

Præfecturæ origo.

Comitibus Ortenaviæ ſublatis, Civitates liberæ, ex liberis & immediatis vicis pedetentim exortæ, ſed libertatis ſuæ defendendæ non ſatis potentes quum eſſent, Præfectus Imperii conſtitutus eſt a Cæſare, qui Cæſaris nomine defenderet eas, atque Imperialia in illis & in vicis jura exerceret. Præfecturæ hæc Cæſareæ in Ortenavia origo, Alſaticæ (*k*) imitatrix & æmula. Alſaticæ enim antiquiora quam Ortenavicæ veſtigia in veteribus monumentis reperio. Extinctis Zaringiæ Ducibus hanc prognatam eſſe, Guillimannus, (*l*) allato fundamento nullo, conjecit. Quidquid ſit de originibus primis, ante ſeculi XIV. medium Præfectura Imperialis Ortenavica ad Marchiones Badenſes pervenit; qui ab Imperatore & Imperio eam acceperunt in pignus. (*m*)

§. IV.

Marchiones Præfecti.

A. 1334. die 15. Octobris Ludovicus IV. Imperator Rudolpho Marchioni Badenſi, dicto de Pforzheim, Caſtrum Ortenberg,

(*k*) ALSATIA ILLUSTRATA Tom. II. pag. 277.

(*l*) *Habsburgiac.* L. V. pag. 227. & L. VI. pag. 345.

(*m*) KOENIGSHOV. *Chron. Alſat.* nominatim pignus Imperii appellat. WIMPHELINGIUS *de Epiſcopis Argent.* p. 104. ait: a Romano Imperio impignoratam poſſedit.

Digitized by Google

berg, Civitates Offenburgi, Gengenbaci & Zellæ, cum omnibus juribus & pertinentiis pro nongentis marcis argenti, ponderis Argentinenſis & quater mille libris Hallerorum oppigneravit. (*n*)

Carolus IV. Imp. A. 1349. pridie Palmarum confirmavit pignus; ita tamen, ut Marchio ſummæ priori aliam quinquies mille florenorum ſuperaddere cogeretur. Virtute oppignerationis hujus Rudolphus Badenſis in Civitatibus, Præfecturæ obnoxiis, Conſules, Senatum, Tribus ordinavit. Offenburgenſis Civitas, literis die Simonis & Judæ datis A. 1349. jus hoc Marchionis agnovit.

§. V.

Biennio poſt Cæſar mutavit ſententiam, atque diplomate Marobaudi A. 1351. poſt feſtum Paſchatis dato, Præfecturam Ortenavicam a Marchionibus Badæ ad Epiſcopum Argentinenſem tranſtulit. Bertoldus de Bucheck, Eccleſiæ Argentinenſis tum Præſul, Friderici & Rudolphi, Marchionum fratrum (*o*) jus, reddita eis ſorte, redemit. (*p*) Res Offenburgi peracta ipſo Eucha- **Argentinenſes Epiſcopi.**

(*n*) Literæ oppignerationis, A. 1334. datæ Paſſavii, in Tabulario Bada-Badenſi extant. Vid. illas in *Cod. Dipl.* Tom. I. Num. CCL.

(*o*) Vide Tom. II. pag. 54.

(*p*) WIMPHELINGIUS ſortem 44000. florenorum conſtituit, ſed falſo, ut

riſtiæ feſto A. 1351. ut Marchionum literæ, Offenburgi ea de re ſcriptæ, teſtantur. Paratam Epiſcopus cum non habuiſſet pecuniam, Argentinenſe telonium Marchionibus dedit in pignus. (*q*) Offenburgum Gengenbacum & Zella die 29. Junii Bertoldo Epiſcopo & Capitulo Argent. jusjurandum fidei præſtiterunt. Rudolphus Saxo, Ludovicus Brandeburgicus, Rupertus Palatinus, Electores, reluitioni eodem anno dederunt conſenſum. Gerlacus, Archiepiſcopus Moguntinus, Carolus IV. Imp. ut Elector Bohemiæ A. 1353. Elector Colonienſis & Trevirenſis A. 1356. ratione novæ ſummæ, pretio pignoris adjectæ, conſenſerunt.

§. VI.

Fata ſub Argent. Eccleſ.

Enimvero quinque mille florenos, qui Epiſcopo debebantur, A. 1356. forti Cæſar adjecit. Sed & A. 1358. alios quinquies mille, A. 1362. itidem alios ſex mille addidit forti florenos. Un-

& BRUSCHIUS *de Epiſcopis Germanicis* pag. 73. HERTZOG. *Chron. Alſat.* L. IV. pag. 95.

(*q*) ALBERT. ARGENT. qui rectius MATTHIAS DE NEUENBURG, ſcriptor vitæ Bertoldi Epiſcopi hac de re ita loquitur: „Bertoldus .... redemit a Marchionibus de Baden conſenſu Regia oppida Offenburg, Gengenbach, Zelle cum attinentiis, obligans pro his telonium Argentinenſe.„ URSTISII *Script. Rer. Germ.* Tom. II. p. 179. KOENIGSHOVEN *Chron. Alſat.* Cap. IV. pag. 258. Adde *Electa Juris Publici Palat.* pag. 160.

de paulatim ſors quadraginta ſeptem millium florenorum emerſit. Carolus IV. præterea literis A. 1351. datis, ſingulare hoc privilegium Epiſcopo Argent. conceſſerat, ut non alii, quam Regi Romanorum, vel Imperatori, Advocatiam reluendi poteſtas competeret. Idem tamen Imp. A. 1365. Roberto I. Electori Palatino poteſtatem dedit, ut Caſtrum Ortenberg, Civitates Offenburg, Gengenbach & Zell, Epiſcopo & Capitulo Argent. oppigneratas, relueret. Sed recuſante reluitionem Epiſcopo & ſucceſſoribus, res caruit effectu. Quin & varia hinc inde damna Offenburgo quum intuliſſet Epiſcopus, Carolus IV. Imp. literis, A. 1367. die 21. Jan. datis, ſingula ei jura & privilegia Liberæ Civitatis Imperii confirmavit, eamque in ſuam protectionem ſpecialem recepit.

§. VII.

Succeſſores Bertoldi, Johannes I. & II. Lambertus, Fridericus II. & Burcardus II. Argentinenſes Epiſcopi, Ortenavicam Præfecturam ad tempora usque Ruperti I. Imp. omnem & indiviſam retinuerunt. Tum vero Wilhelmus a Dieſt, continuis cum Civitate Argentinenſi implicitus litibus, dimidiam ejus partem, cum Eccleſia Argentinenſi indiviſim poſſidendam, A. 1404. die Jovis ante Dominicam Palmarum Ruperto Palatino, Cæſari, reddidit. Anno ſequente, die Saturni ante Dominicam Judica, Offenburgum, Gengenbacum & Zella, Civitates, Ru- Palatinus in con mun. admiſſus.

perto Imp. jusjurandum præſtiterunt. Hic literis eodem anno, die Mercurii poſt Judica, Germershemii datis, Advocatiæ Ortenavicæ reditus cum Argentinenſi Epiſcopatu æquis partibus ſe diviſurum ſpopondit.

§. VIII.

Scriptores notati.

WIMPHELINGIUS (*r*) ait: „ Dimidiam partem „ terræ trans Rhenanæ, Offenburg, Gengenbach &c. Roberto „ Regi libere dedit Wilhelmus. GUILLIMANNUS (*s*) rem fuſius explicat; „ Ruperto Cæſari, inquit, cauſam ſuam „ probare maxime niſus, ut volentiorem quoque haberet, me„ diam in Mortnavia Imperii Præfecturam, in qua Offenbur-

(*r*) *De Epiſcopis Argent.* pag. 104.

(*s*) *De Epiſcopis Argent.* pag. 411. BRUSCHIUS *de Epiſcopis Germaniæ* p. 73. „ ita ſcribit: „ Dimidiam partem Provinciæ trans Rhenanæ Offenbur„ gum videlicet, Gengenbachium, Otenburgum, Zellam Hermansba„ cenſem, & alia adjacentia loca Ruperto Regi libere tradidit. „ *Auctor Dipl. ab Imp. Leopoldo urbi Cellenſi* A. 1689. conceſſi, fatetur etiam, dimidiam horum oppidorum partem Palatinæ Domui fuiſſe oppigneratam, alteram dimidiam Epiſcopatui Argentinenſi. LUNIG *Reichs-Archiv* Tom. XIV. pag. 711. Clariſſime rem omnem exponit diploma Sigismundi Imp. de A. 1437. Ottoni Comiti Palatino Rheni conceſſum, de quo paulo poſt dicemus. ZEILERUS in *Topographiæ Sueviæ* p. 339. Wilhelmum Epiſcopum dimidiam Offenburgi partem Imperatori Ruperto conceſſiſſe perhibet.

„ gum, Gengenbach, Ortenburgum, Cella ad Hermansbach
„ & alia illis vicina, & conjuncta loca, &c. ſponte & ſine pre-
„ tio reſignavit. „

Per mediam Præfecturam Guillimannus intellexit dimidiam. Errat autem, quando eam Imperatori ſine pretio, ad conciliandam ſibi ejus benevolentiam, Wilhelmum tradidiſſe ſcribit. Rupertus vicies & ter mille florenos cum quingentis, id eſt, dimidiam ſortis partem perſolvit Epiſcopo. Litibus autem ejus cum Civitate Argentinenſi ſe non immiſcuit Cæſar, ſed utrique parti, arma ut deponerent, injunxit.

§. IX.

Dimidiam Advocatiæ Ortenavicæ partem Rupertus, tanquam Imperator, redemit, ſed eandem brevi poſt in filium natu majorem, Ludovicum Barbatum, tranſtulit, eique pro 23500. florenis denuo oppigneravit. Caſtra & oppida, ad Præfecturam ſpectantia, A. 1409. die 22. Octobris eidem Ludovico, Cæſaris filio, & A. 1437. Ludovico, Barbati filio, Cæſaris nepoti, jusjurandum ſolitum præſtiterunt. Ludovicus Barbatus enim A. 1424. Litteris ſolennibus diſpoſuerat, ut Ortenberg, Offenburg, Gengenbach & Zella omniaque huc pertinentia loca penes filium ejus natu majorem, adeoque penes Electoratum manerent. (t) Eo- Portio Palat.

Uu 3

(t) Tolnerus *Cod. Diplom. Palat.* num. 214. pag. 260. inſtrumentum hoc ad A. 1426. male retulit.

dem modo Fridericus I. Elector Palatinus in teſtamento ſuo A. 1470. diſpoſuit. (u) Hæc de dimidia parte, quam Rupertus Imperator redemerat.

§. X.

Portio Argent.

Ad dimidiam partem Argentinenſis Epiſcopatus quod attinet, Sigismundus Imp. literis 1437. die Martis ante Feſtum D. Margarethæ Wilhelmo Argent. Epiſcopo, ut & aliis, eodem anno & die datis, Capitulo Argent. injunxit, ut Ottoni Mosbacenſi, Comiti Palatino Rheni, Ruperti Imp. filio juniori, in quem reluitionis jus ſuum transſcripſerat Cæſar, dimidiam Eccleſiæ Argentinenſis partem pro mille viginti tribus & quingentis florenis, Capitulo ſolvendis, traderent; detracta tamen ea pecuniæ ſumma, quam Ludovicus, Ottonis frater, in partem hanc Epiſcopo Argent. numeraverat. Reluitio hæc tamen, quam tantopere

(u) In eo hæc verba: „ Unſer Sohn und Sin Erben ſollen nach unſerm „ todt innhaben und blyben by ſolchen Landſchafften, Schloſſen „ und Stætten, die unſer Lieber Herr und Vatter nach innhalt ſins „ teſtaments ſinem elteſten Sohn unſerm Lieben Bruder Hertzog „ Ludwig dem jüngern ſeligen gedacht und by der Pfaltz zu bliben „ zugeordnet hat mit Namens .... Ortenberg der Veſten und dem „ Flecken darunter, Offenburg der Statt, Zelle der Statt und was „ zu ſelbiger Gemeinſchafft gehœrt. „ Loquitur de Præfectura Ortenavienſi.

Digitized by Google

exoptaverant Palatini, ob conſtantem Eccleſiæ Argentinenſis repulſam, caruit ſucceſſu. A. 1440. enim Civitates, ad Præfecturam ſpectantes, Conrado Argentinenſi Epiſcopo, conſuetum jusjurandum præſtiterunt.

§. XI.

At in alia omnia deinceps Fridericus IV. Imperator diſceſſit. Hic enim A. 1453. literis Neoſtadii datis, Carolo I. Marchioni Badenſi, affini ſuo, facultatem conceſſit, ut a Ruperto Epiſcopo & Capitulo Argent. eorumve ſucceſſoribus Argentinenſem redimeret partem. Quin & Palatinam Præfecturæ partem in eundem Carolum Marchionem translaturus, A. 1462. ad Civitates Præfectoriales ſcripſit, ne futuris temporibus Fridericum Electorem Palatinum, ſed Carolum Marchionem Badenſem pro Præfecto agnoſcerent. (x) Utraque Marchioni delata.

Verum nec Argentinenſis Epiſcopus, nec Palatinus Elector, Cæſaris juſſis morem geſſerunt. Ortenavia per reliquum ſeculi XV. tempus in poteſtate Electoris Palatini & Argentinenſis Epiſcopi conſtanter permanſit. Sed fruſtra.

A. 1478. Civitates Præfectoriales Alberto Epiſcopo Argent. ex Comitibus Palatinis, Ottonis Mosbacenſis filio, jusjurandum præſtiterunt. Viciſſim Epiſcopus Civitatum jura pri-

(x) Utraque Charta in Tabulario Bada-Badenſi extat. Vide ſupra Tom. II. pag. 155.

vilegia & conſuetudines ſancte ſe ſervaturum jurejurando ſpopondit.

§. XII.

Portio Palat. a Max. I. occupata.

At ſub ipſo hoc Alberto Palatino, Philippus Palatinus Elector, dimidiam illam Ortenavicæ Præfecturæ per centum annos a deceſſoribus poſſeſſam, A. 1504. amiſit. Tum temporis enim bello, ob Georgii Divitis, Bavariæ Ducis, ſucceſſionem exorto, Maximilianus I. Imperator Philippum Electorem cum filio Ruperto, Georgii Divitis genero, ſoceri ſucceſſionem pertinaciter affectante, proſcripſit. Proſcriptionis occaſione Palatina pars Præfecturæ Ortenavicæ, Palatinis bello erepta, ad Auſtrios tranſiit; qui bello finito eam ſibi retinuerunt.

Neque vero dimidiam Præfecturæ Ortenavicæ partem Maximilianus Palatinis abſtuliſſe contentus erat; abſtulit eis quoque Præfecturam decem Civitatum Alſatiæ omnem, quæ Hagenoenſis vocatur.

§. XIII.

Trithemii teſtimonium.

TRITHEMIUS Abbas inquit: (y) „ Maximilianus
„ Argentinenſium auxilio Regni terras & oppida impignerata
„ Palatinatui ſine ſanguinis effuſione invaſit & obtinuit, Ge-
„ roldseck

(y) *Chron. Hirſaug.* ad A. 1504. pag. 606.

„ roldseck Caſtellum & Comitatum Offenburg, Ortenberg, Gen-
„ genbach & quidquid in circuitu juris fuerat Palatini. „

Parum itaque accurate urbis Cellenſis Notitia apud LUNIGIUM (*z*) ait, Præfecturam & urbes Imperiales Ortenaviæ pignoris nexu tum fuiſſe ſolutas.

Ipſe Maximilianus I. hoc anno Ortenaviam intravit & retenta ſibi parte dimidia, quæ nuper Palatina fuerat, alteram dimidiam Præfecturæ illius, ab Imperio oppigneratæ, partem Alberto, Argentoratenſium Epiſcopo, confirmavit. (*a*)

§. XIV.

Neque tamen dimidia Ortenaviæ pars, Palatinis erepta, ad Imperium rediit. Cæſar indecorum arbitratus, familiæ eam ſuæ annectere, Wolfgango, Fürſtenbergio Comiti, Aulæ ſuæ Mareſchallo, & Alſaticæ Provincialis tum Præfecturæ poſſeſſori, eam tradidit; ob officia, quæ ei præſtiterat Comes, & ob viginti quatuor millium florenorum ſummam, quam ſtipendii nomine, & ex **Eadem Fürſten-berg. collata.**

(*z*) *Reichs-Archiv* Tom. XIV. pag. 711.

(*a*) Literæ d. 18. Aug. datæ in Tabulario Badenſi ſervantur.

mutuo Comiti debuerat Cæſar; jus retractus tamen & regalia nonnulla, ſpeciatim jus metallifodinarum, ſibi & Imperio reſervans. Novæ hujus oppignerationis Inſtrumentum Offenburgi conditum die 7. Aug. A. 1504. (*b*)

§. XV.

Transactio cum Palat.

Mortuo Electore Philippo, A. 1508. filius ejus Ludovicus Pacificus, de damnis, Domui ſuæ illatis, ſpeciatim de ereptis Ortenaviæ & Alſatiæ Præfecturis apud Imperatorem conqueſtus eſt, quod utraque pignoratitio jure ad Palatinos pervenerit. Inter Maximilianum & Ludovicum his denique conditionibus transactum, ut omnia ſua in utramque Præfecturam jura in Auſtriacam Domum Palatinus transferret, atque ab ea centum florenorum millia in compenſationem acciperet. Conſenſit Fridericus, Ludovici Pacifici, inter hæc mortui, frater, idemque in Electoratu ſucceſſor.

(*b*) Extat in Tabulario Badenſi.

Digitized by Google

§. XVI.

Carolus V. Imp. Maximiliani ſucceſſor, conditiones implevit, atque pecuniam, Palatinis promiſſam, juſſit exſolvi. (c) Inſtrumentum ceſſionis A. 1521. Wormatiæ confectum, feſto Corporis Chriſti. Fürſtenbergii Comites tamen & Epiſcopi Argentinenſes Præfecturæ Ortenavienſis poſſeſſionem conſtanter retinuerunt. Homines Præfecturæ ſubjecti A. 1523. Regimento Imperii contra Abbatem Gengenbacenſem, de jure manus mortuæ, obtulerunt libellum, in quo de Epiſcopo Argentoratenſi & Comitibus Fürſtenbergiis, tanquam Præfecturæ Ortenavienſis hypothecariis, loquuntur. (d) Paulo poſt (1521.) Carolus V. fratri A Carolo V. perfecta.

(c) Chifletius in *Alſatia vindicata* Cap. 9. pag. 55. ait: „ Carolus V. Imp.
„ Advocatiam Alſatiæ fiduciæ Palatinorum pridem creditam una cum
„ Advocatia de Ortenau poſtea redemit pro ſumma 80. millium flore-
„ norum German. in Capitali & 20. millium in expenſis, illaſque ut
„ Luxenburgi Dux, ſuis heredibus iterum aſſeruit. „

Chifletiana hæc veritati repugnant.

Carolus V. enim non ut Luxenburgi, ſed ut Auſtriæ Dux, has Præfecturas ſuæ genti vindicavit.

(d) *Wir Unterthanen der Pfandſchaft Ortenberg in der Mortenau gelegen, brin-*

ſuo Ferdinando Auſtriacas ditiones omnes, in Germania ſitas, ut & illas, quas pignoris jure tenuit, ſponte conceſſit.

§. XVII.

Ferdinandus I. pignoris dominus.

Imperium eidem Ferdinando, Regi Romanorum, A. 1542. auxilia contra Turcas decrevit. Auxiliorum hiberna 197480. florenis conſtiterunt Ferdinando, quos ſuo ære perſolvit. Carolus V. ei atque heredibus Svevicam, Alſaticam & Ortenavienſem, adeoque tres Præfecturas Imperii A. 1548. novo pignoris nexu obligavit. (e) Idem Imp. Guilielmo, Argentoratenſium Epiſcopo, ante XXVII. annos facultatem reluendi dimidiam Præfecturæ Ortenavienſis partem, a Fürſtenbergiis poſſeſſam, conceſſerat; retractus & aperturæ Juribus Auſtriacæ Domui ſervatis. Diploma Wormatiæ datum die 24. Maji A. 1521. At Guilielmus ab

gen für: Daß ein Abbt zu Gengenbach in des Reichſs Land Mortenau, ſo dem Hochwürdigen Fürſten, unſerm gnädigen Herrn von Strafsburg &c. und den Wohlgebohrnen Herren Wilhelmen und Friedrichen Gebrüdern, Sœhnen Graff Wolffgangs, Grafen zu Fürſtenberg, durch Weyland Römiſche Kayſer und das Heylige Reich in Pfandſchaft zugeſtellet worden. &c.

(e) Diploma Caroli V. extat in *Corp. Dipl.* Tom. IV. P. I. pag. 419.

Honſtein Epiſcopus dimidiam illam Præfecturæ partem, a Guilielmo a Dieſt alienatam, reluendi occaſionem neglexit, quamvis per totos viginti annos poſt conceſſionem hanc Argentoratenſi Eccleſiæ præfuerit; turbis, ob religionis diſſidia, obortis, ſine dubio impeditus.

§. XVIII.

Eraſmus ſucceſſor tam parum de reluitione ſollicitus fuit, ut etiam Argentinenſis ſuæ Eccleſiæ portionem Ferdinando, cui frater reluendi facultatem A. 1550. novis literis dederat, conceſſerit, atque adeo Præfecturæ hujus homines a jurejurando ſibi præſtito liberaverit. Inſtrumentum hac ſuper re die 2. Oct. A. 1556. confectum Udenhemii, in Palatio Epiſcopali Spirenſi. Rudolphus enim Spirenſis Epiſcopus conciliator negotii fuit. Idem Ferdinandus jam ante ſexennium Fürſtenbergiorum partem, reddita Friderico Fürſtenbergio Comiti, pro qua oppignerata primum fuit, pecunia, liberaverat nexu. Eodem ergo A. 1550. quo Fürſtenbergiis oppignerationis pretium, Ferdinandus Rex Romanorum perſolvit, ipſam quoque Epiſcopatus Argentinenſis partem Præfecturam omnem redimit.

Digitized by Google

redimendi jus pro ſe & heredibus maſculis a Carolo V. fratre accepit. Sic tota Ortenavienſis Præfectura, ut pignus Imperii, ad Auſtrios tandem ſolos pervenit; qui ab hoc tempore eam vel ipſi tenuerunt, vel aliis conceſſerunt in feudum.

Idem Ferdinandus A. 1558. Othoni Henrico, Electori Palatino, quinquaginta ſolvit florenorum millia, ut Alſaticam Præfecturam, quam Ludovicus Pacificus Elector A. 1530. receperat, ad ſuam quoque Domum transferret. (*f*)

§. XIX.

Pace Weſt-phal. Auſtriacis confirmatur.

Illuſtres ergo duo ad Rhenum Præfecturæ Cæſareæ, quæ tredecim Civitates Imperii, & ultra octoginta Imperii vicos tum fuerant complexæ, intra octennium in Auſtriacam ditionem pervenerunt.

Bello tricennali Gallicæ copiæ Ortenaviam occupabant, cujus Præfectura pacis Monaſterienſis decreto (*g*) ad Ferdinan-

(*f*) ALSATIA ILLUST. Tom. II. pag. 576.

(*g*) Art. XII. §. 85.

Digitized by Google

dum pervenit. „ Totam Ortenaviam, verba ſunt Formulæ Pa-
„ cis, cum Civitatibus Imperialibus Offenburg, Gengenbach &
„ Cella am Hammerspach, quatenus ſcilicet Præfecturæ Orte-
„ navienſi obnoxia ſunt, adeo ut nullus omnino Rex Franciæ
„ quicquam juris aut poteſtatis, in his præmemoratis parti-
„ bus, cis & ultra Rhenum ſitis, ullo unquam tempore præ-
„ tendere aut uſurpare poſſit aut debeat, *ita tamen ut Auſtria-*
„ *cis Principibus, prædicta reſtitutione, nihil novi juris acqui-*
„ *ratur.* „

Præfectura hæc ditionibus Auſtriacis, anteriores quas vocant, contermina, Enſishemiano Regimini olim eadem ratione, qua Alſatica, fuit obnoxia, indeque ad Oenipontanum Archiducis Regimen provocatio fuit.

§. XX.

Leopoldus Imperator Ludovici Marchionis Badenſis in Auſtriæ Domum merita remuneraturus, ei atque deſcendentibus maſculis Præfecturam Ortenaviæ, ut feudum, a Domo Auſtriaca pendens, A. 1701. conceſſit. (*h*) Cæſarea hac donatione Baden- **Badenſibus datur in feudum.**

(*h*) Vide ſupra pag. 234.

ſes Præfecturam, quam pignoris jure A. 1334. jam ab Imperio tenuerant, atque A. 1351. amiſerant; in quam A. 1453. jus reluendæ partis dimidiæ denuo acquiſierant, poſt tria cum dimidio ſecula titulo feudali ad ſuam Domum reduxerunt.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT II.

§. I.

Ortenavica, quam deſcripſimus, Præfectura, quam etiam Advocatiam appellant, non ſuper Ortenaviam omnem, ſed, uti jam dictum, ſuper tres Civitates ejus Imperiales & ſuper plurimos ejus vicos ſeſe extendit. Ortenberg Caſtrum, (*i*) rupi impoſitum, erat ſedes Præfecti; cujus Præfecturæ Offenburgum, Gengenbacum, Zella ad Hammersbachium, oppida Imperii, hodieque ſubſunt. Vici, Vilerii, Viculi & Valles (*k*) eidem Advocatiæ ſubordinati in IV. Judicia dividuntur, quæ dicuntur Provincialia, (*Landgerichte*). dicuntur etiam *Hauptgerichte* in relatione ad minora judicia, quæ *Aftergerichte* appellant. **Præfecturæ indoles.**

§. II.

I. JUDICIUM ORTENBERGENSE et LEFFERSBERGENSE. **Judicia quatuor.**

Hoc in duas Juriſdictiones Inferiores (*Staab*) ſubdividitur; nempe Zell & Goltscheuer.

(*i*) *Das Schloſs und Hauſs* plerumque *der Stein Ortenberg.*

(*k*) *Dörfer*, *Weiler*, *Zinckhen und Thäler.*

Ad ZELLENSEM pertinent:

Rambſchweyer,
Wejerbach,
Zell,
Riedling,
Albersbach citerior & ulterior,
Feſſenbach (Forder und Hinter)

Ad GOLTSCHEUERENSEM referuntur:

Ritterspurg,
Goltſcheuer,
Marlen,
Mühlen.

II. JUDICIUM ACHERENSE vicis ſequentibus conſtat:

Nieder Acheren,
Gambshurſt,
Fauttenbach,
Oehnsbach,
Ober Achern.

III. JUDICIUM APPENWIRENSE; habet vicos:

Appenweyer,
Uhrloffen,

Digitized by Google

Nuſsbach,
Zuſenhoffen,
Bottenard ex parte,
Hertzthal,
Meiſenbühel.

I V. JUDICIUM GRUSENHEIMENSE continet:

Gruſenheim,
Weyher,
Waltersweyer,
Bühel,
Bohlsbach,
Ebersweyr,
Rambsweyr ex parte,
Windſchleg.

Præter hæc quatuor Judicia majora, duo ſunt quoque minora *Otterſviranum* & *Zunsviranum*. Illud vicos Otterswir & Lauffen cum villis quibusdam comprehendit.

§. III.

Majorum Judiciorum Præſides (*l*) Præfectus Ortenaviæ conſtituit. A Judiciis ad Caſtrum Ortenberg, ubi ſedet Præfe- **Eorum formula.**

Tom. III. Yy 2

(*l*) Germanis *Vogt.*

ctus; a Præfecto ad Regimen Tabernenſe Alſaticum provocatio fiebat; eo tempore, quo Advocatia Ortenaviæ Epiſcopo Argentinenſi fuit oppignerata. Seculo hoc ad Bada-Badenſe Regimen, quod Raſtadii eſt, provocatur. Ex quo Caſtrum Ortenbergæ deſtructum, cauſæ criminales pro diverſitate loci & delicti in his quatuor Judiciis promiſcue tractantur. (*m*)

§. IV.

Præfecti poteſtas.

Præfectus Ortenavicus olim, Decapolitani Alſatici inſtar, a Præfectorialibus Urbibus jusjurandum fidei accepit; illisque reciproco jurejurando libertates eorum atque privilegia ſe defenſurum promiſit. Præfectus ſolemni Statuum Provincialium Conventui præſidet. Ipſe Scultetum Imperii (*n*) in ſingulis Civitatibus ex Duodecimviris conſtituit, atque Monaſterii Imperialis Gengenbacenſis Advocatus perpetuus eſt. Gaudet per omnem Præfecturam regalibus juribus, quæ ante oppignerationem Imperatori & Imperio competebant; (*o*) Jure conductus; ſequelæ; ſteuræ, precariæ, tributorum, foreſtæ & fiſci. Exercet merum & mixtum imperium.

(*m*) Judicium Criminale cum habendum eſt, VII. Judices ex ruſticis ad illud eliguntur, quibus proceſſus Criminalis a Regimine Advocati inſtructus & ſententia ibi lata prælegitur, Judices acquieſcunt.

(*n*) *Reichs-Schultheis.*

(*o*) *Als Pfandherr*; unde Præfectura *die Pfandſchafft Ortenau.*

Digitized by Google

§. V.

Ortenaviæ Præfecturæ dignitas ante oppignerationem ambulatoria cum fuiſſet, Cæſares nonniſi ex illuſtribus Germaniæ gentibus elegerunt Præfectos. In Monumentis occurrunt: Præfecti antiqui.

1260. Hermannus a Geroldseck. (*p*)
1292. Comes a Catzenelenbogen. (*q*)
1297. Hermannus a Geroldseck. (*r*)
1299. Otto de Ochſenſtein, Ottonis filius. (*s*)
1326. Rudolphus Marchio Badenſis Senior.

§. VI.

Appendicis loco obſervamus, in Achera inferiore, Præfecturæ Ortenavicæ vico, (*t*) magni Turennii viſcera ſervari. Turennii memoria. Turennius Brandeburgicum Electorem, Fridericum Wilhelmum, & Bournonvillium, Cæſarei exercitus Ducem, prœlio ad Turinghemium, quod Imperialis olim Civitas ſuperioris Alſatiæ, leuca diſtans Colmaria, die 5. Jan. A. 1675. ex Alſaticis hibernis expellens, belli theatrum in Ortenaviam tranſtulit; ponte ſuper Rhenum Altenhemii, tribus ſupra Argentoratum leucis, conſtru-

Yy 3

(*p*) Koenigshoven pag. 252.
(*q*) *Annales Colmar.* pag. 26.
(*r*) Koenigshoven pag. 120.
(*s*) Idem pag. 121.
(*t*) *Nider Achern.*

Digitized by Google

ℓto. Bournonvillius, revocatus a Cæſare, qui Montecuculio bellum contra Gallos gerendum commiſit, Turennius ad Wilſtadium metatus eſt caſtra; Montecuculio ad Schutteræ Monaſterium, dein ad Offenburgum ſua caſtra ſigente. Junius & pars maxima Quinℓtilis ſine prœlio transaℓti. Montecuculius denique pedem fixit ad Bühlam; bihorio a Bada. Turennius tranſtulit ſua caſtra ad Acheram vicum, qui inferior dicitur.

§. VII.

Sasbaci occiſus.

Sasbacum Argentinenſis Epiſcopi in Ortenaviæ vicus eſt, Oberkirchenſi Præfeℓturæ adſcriptus, inter præſtantiores cenſendus, a Rheno tribus horis, a promontanis Nigræ Silvæ mille paſſibus remotus; quem rivus cognominis perluit. Omnis illa regio frugibus, vitibus, pratis & hortis abundat. In traℓtu hoc prœlium inire decreverat Turennius. Cæſareanus exercitus Gallicusque in campis molliter editis conſederunt. Medium inter eos fuerat Sasbacum. Galli ad auſtrum, ubi campus ſepulcreti; (*u*) Caeſareani ad boream, ubi campus *Hochfeld* & Trinitatis eſt fanum. Duos inter exercitus nonniſi dimidiae fuit leucae intervallum. Galli a parte ſua conſtruxerant aggerem. Locus nunc vitibus conſitus, hodieque incolis *Vallum* (*x*) vocatur. Turennius, hoſtium ſitum propius explorans, in Sasbacenſis ſepulcreti vicinia

(*u*) *Das Gottesackerfeld.*

(*x*) *Das Schanzlein.*

Digitized by Google

prope arborem caſtra Caeſareanorum omni ex parte examinavit ſollicite; eos aggreſſurus poſtridie. At ſpeculatorem & ipſi Caeſareani ſpeculati, ferrea glande, ex tormento bellico emiſſa, equo inſidentem, percuſſerunt; ignari quis eſſet.

§. VIII.

Fatalis hic Turennio dies eſt vigeſimus ſeptimus Julii ſtyli novi A. 1675. (y) Transportatus in Acherae inferioris vicum, ſemileuca qui diſtat Sasbaco. Viſcera non Parochiali Acheranae, ſed veteri Capellae D. Nicolai, in extremitate Burgi ſitae, illata, ad Evangelii cornu altaris recondita ſunt. Corpus in Galliam delatum, in San Dionyſiano prope Lutetiam Fano, ubi reges ſepeliuntur, ſepultum. Hanc de magno Galliae heroe ejusque extremis notitiam Diatribae adjeci, quod nec Sasbaci, nec Acherae poſita ſunt Turennio monumenta, quae rei tam memorabilis memoriam propagarent ad poſteros. Viſcera Acherae condita.

(y) Deſcriptionem ac delineationem rei hujus exhibet *Diarium Europæum* Parte XXXII. pag. 528. Ramsay *Hiſt. du Vicomte de Turenne* Tom. I. pag. 580. Vide ſupra pag. 168.

FINIS TOMI TERTII.

Digitized by Google

Z 2.3.30 vol III

Digitized by Google

2.3.30 Vol III

Digitized by Google

Digitized by Google

0056 45673

Restauro
"San Giorgio" s.a.s.
VIA ROMA